

1793.

1. Berstcheff-Rumin, Joannus Henricus Ludovicus,
Curator, de: *Responsa iur. XXX, XXXI et*
XXXII. *Programma, quo quatuor facultatum docen-*
tatores et reliqui assessores memoriam auer-
sariorum Joannae Henricae Ludoviciae, Comi-
sissae de Berstcheff-Ruminis . . . cele-
brandam indicant.
2. * Bonius: *Responsa iur. XXVI, XXVII et XXVIII.*
Programma, quo ordinarii senior et reliqui fac-
iut. assessores memoriam Bonianam . . .
recoleandam . . . indicant.
3. Greenius, hig. Frider. Wigand. (De ammissione
liberalium candidatuum). *Programma, quo*
salvini Doctoralia Samuelis Friderici Jungfau-
ri indicat.
4. * Sickelius, Joannes Conradius: *Responsa iur. XXX.*
Programma, quo ordinarius senior et reliqui
assessores fac. iur. thlemnia Doctoralia Joannis
Conradi Sickelii indicat.

1793.

5. * Sylvester et Blasius, Rudolphus Ferdinandus:
l. b. de: De iuris sanitatis studio, saepel
vel optimam sanitatem frangente. Programma, 9.
quo trium superiorum facultatum decani subo-
res et reliquias assessores . . . monemus 10
Rudolfi Ferdinandi l. b. de Sylvester et
Blasius . . . recalendam in Rost.
6. Petrusamus, Iu. L. de: Programma, quo solen-
nia Doctoralia Christiani Winkelii indicet. 11.
7. Bauner, Henricus Gallipites, fac. ius. praecon.
cellarius: Pauli constitutio, capitulo occa-
sionem, quae benignius responsum praebat,
ad criminationem publicissimum iustitiam per-
tinere. Programma, quo solennia Doctoralia
Iacobi. Rusticii Persotii . . . in Rost. 14.
8. Minerius, Christianus Gallotto: De ducata aliqui
rectracta laximis post mortem Alberti III., 15
ultimo ex familia Brandenburgum, V. Hebergensis 16

electoris in Fridericium Bellorum, Marchionem
Missaensem collato.

9. Bienerus, Christianus Gellat: De cassatione
penitentium.

10. Erhardus, Christianus Daniel: De ampliationibus
iudiciorum publicorum apud Romanos

11. Erhardus, Christianus Daniel: De fundamento iuris
punientis.

12. Erhardus, Christianus Daniel: De ampliationibus.
iudiciorum publicorum apud Romanos.

13. Freck, Ferdinandus Gellat: De auxiis gratiae
et disertoto en legibus ecclesiasticis Secundus
aestimando.

14. Hanboldus, Christ. Gmel: De legato nomine.

15. Hanboldus, Christ. Gmel: De jure afferendi, ex quo
in priorem crevitorum locam successione.

16. Hermannus, Joannes Fridericus: De iuribus et
obligacionibus videlicet Saxonicis, qui testamento
uxoris fiduciomodo gravibus est universalis.

1793.

17. Jungmann, Samuel Fredericus: De gabellae debach
ex usn fori Saxonici Electoralis aestimanda.

Spec. I.

18. Jungmann, Samuel Fredericus: De gabellae debach
ex usn fori Saxonici Electoralis aestimanda.

Spec. 2.

19. Kindius, Hieronymus Theophilus: De XIII Turbin-
iani estatis Spec. I.

20. Knobelsdorff, Iacobus Christianus: De kuriositatibus se-
ren pacis publicae turbatorum at canes portando
damnam.

21. Knobelsdorff, Iacobus Christianus: De usn hodiernae
legis XIX. Dij. de usn et usufactu et redditu et

22. Porcellius, Iacobus Giulianus: De distinctione inter
usinum occidentis directum et indirectum.

23. Puchmannus, Ios. Th. Imp. fac. iur. procurator Mariae:
Programma, quo sollempnis inauguratio Iwan. Stidts
Hermannii indicatur.

1793.

24. Roessig, Carolus Thellob : De caatione i^r hacca.
do jure naturae nostra imprimit actale maxi-
me necessaria. Progymna, mattores auspicias, p[ro]ac-
missionis.

25. Sebas, Christianus Ludovius : De malthesecos d[icitur].
ciplina et usq[ue]


26. Fickellius, Iacobus Conradus : Diocletianus et
Maximianus sine de vita et constitutionibus
P. Aurelii Valerii Diocletiani et M. Aurelii
Valerii Maximiani.

27. Stockmannus, Magister Cornelius : De transactio[n]ibus
ab nostra reporta instrumenta vocin[em]entis.

28. Windkelerus, Christianus : De interruptione, amara,
prionis ac praescriptionis.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-646658-p0008-0





Z. 3.

DE
XIII. IVSTINIANI EDICTIS
SPECIMEN PRIMVM

QVOD PVBLICE
AMPLISS. PHILOS. ORDINIS AVCTORITATE
IN AUDITORIO PHILOSOPHICO

A. D. XXI M. DECEMBER. CCCLXXXIII

H. L. Q. C.

DEFENDET AVCTOR

HIERONYMVS THEOPHILVS
KINDIVS

A. A. M. I T I. V. B

ASSVMTO SOCIO

AVGVSTO APEL

IVR. VTR. BACCAL. LIPS

Continet quatuor priora Edicta

LIPSIAE
EX OFFICINA KLAVERARTHIA

XIII. TAVELIANE EDITIONIS

TECHNIEN FIRMI

VNTPLIES LIMOS ORDINES VACATIONES

O FELDPAKETTASCHEN VACATIONES

A.D. XXI M. DECIMI. DECIMI.

II. 50 C. 100 D. 100 E. 100 F.

PERFECTA VACATIONES

HIERONYMUS THESSORIUS

ALNIGIA

ASSUMPTIO SOCIO

VACASTO APTI

COLLECTORI LIBRARI

Constitutio publicorum libri et Fidei

COLLECTORI LIBRARI

V I R O
HOCCE STADII AVGDEMVICI
ILLVSTRI
ATQVE
EXCELLENTISSIMO
IOANNI ADAMO THEOPHILO
KINDIO

SERENISSIMO PRINCIPI ELECTORI SAXONIAE
A CONSILIIS PROVOCATIONVM

PATRVELI

E T

PATRINO SVO OPTIMO
SOTOVA

V
HOCCE STVDII ACADEMICI
ILLUSTRI
SPECIMINE

GRATVM PIVM QVE ANIMVM
EXCELENTISSIMO TESTARI CVPIT
JOANNI ADAMO THEODORILLO
KINDIO

CEREMONIALE RITUALIS ET RITUALIS
A CONSULES PROVOCATIONUM

PATRINII

TI

additissimus
OMNIS QVE OPTIMA
AVCTOR.

DE
XIII. IVSTINIANI EDICTIS.

§ I.

Instituti ratio.

Nouellae Imperatoris Iustiniani quo magis aestimatae semper sunt et partim singulatim partim cum aliis simul legibus Romanis collustratae ab interpretibus et commentatoribus, tanto magis neglecta et fere despecta reperiuntur Edicta eiusdem legislatoris. Quo iniquo harum legum fato commotus ut scribendi occasione mihi oblata argumentum antiquarium ex iuris Romani historia elaborandum de promerem, impellebar eam in primis ob causam, quod duplex praeterea mihi videbatur propositi mei commendatio. Nimurum digna esse arbitrabar quibus illustrandis operam dare, XIII. Iustiniani quae exstant Edicta, cum ob ipsorum auctorem et aetatem, tum ob inopiam incertitudinemque eorum, quae vel iam scripta sunt de iis, vel ex comparatione plurium Corporis iuris civilis locorum haud temere possunt coniici. Quamquam enim non desunt viri docti, quorum alii^{a)} de edictis in genere, alii de edicto perpetuo,^{b)} prae-

torio

a) Omnia fere primus hic nominandus est Ioh. Gottl. HEINEC-
tius in Opp. posth. a Ioh. Christiano Gottlob HEINECCIO Hala-

4. ed. Libro I. c. 2. pag. 15. ff.

b) vid. Laur. Andr. HAREMBER-
GERI diff. de edicto perpetuo, le-
næ, 1738. 4. et Petr. PITTENIUS
in Oeconomia edicti perpetui.

A

2


torio seu aedilitio^{c)} et successorio,^{d)} de edictis ad Christianos^{e)} aliquisque scripsere; de nostris tamen quae ab Iustiniano nomen ferunt, omnes altum silentium tenuerunt. Haud leue igitur pondus nouitati quoque huius argumenti inesse, non immerito sperandum est. Quae cum ita sit, ipsam tractationem ita componere nobis proposuimus, ut praemissiis, quae de edictis in vniuersum ad nostram rem pertinere videbuntur, ad ea penetremus, quae omnem libelli paginam faciunt, vberiori illustratione, eorum sive originem species atque formam, sive auctoritatem et indolem, certe dignissima. Quo modo fieri poterit facilime, ut, consultis antiquitatis litterariae veterisque iurisprudentiae monumentis, quae opusculo nostro qualicunque firmae instar materialiae fundamenta valeamus subicere, absolutam pro virium nostrarum imbecillitate XIII. Edictorum commentationem producamus. Omnino autem omnem in eo collocabimus operam, ut quae huius illiusue placiti prima causa fuerit, qui verus sit sensus et ambitus locorum obscuriorum adcuratius perspiciamus. Ita quidem opus nonnunquam erit loca, linguas barbarie paululum obtenebrata, num, sicut relata ex aliis locis referendis apte interpretari nobis contingat, periclitari; alia capita, ut hoc addamus, ope criticis explicanda esse experiemur; alia, non tam verborum quam rerum intuitu difficultia, ex aeuī antiquitatibus colustrare vnicē proderit. Notellarum Iustinianearum in primis,

c) vid. Aug. de LEYSER de edito aedilitio in eius Medit. ad n. Spec. 237. aliquie quos recensuit LIPPENIUS sub voce: aedilitium editum.

d) Quod egregie commentatus

est Ioh. Theoph. SEGERVS, Lipf. 1769. 4.

e) De quibus inter alios Fr. BALDVINVS in Constantino Magno, Lipf. et Halee, 1727. 8. ed. et Ian. a COSTA expoluerunt.



mis, quae inuoluunt praecpta maximam partem vberiora atque clariora, et nostra edicta locis quam opportunissimis plerumque inserta,^{f)} quin et Basilicorum libros iterum iterumque non sine maxima utilitate consulsemus. — Sed haec quidem hactenus de ratione consilii nostri et fine.

§ II.

De editis in genere.

In tanta Romanarum legum varietate^{g)} Edicta, siue ad auctoritatem eorum siue usum respicias, non ultimum occupant locum. Quo igitur iure inter Edicta sint a Iustiniano relatae leges eae, de quibus disputare his paginis constitutimus, ut diuidicare possimus, initium omne capiendum esse videtur de nomine et indole Edictorum. Sed quo plures aliae leges regiae existunt, quae ab editis principum differunt leui tantum momento, tanto utilior erit omnino haec ipsa disquisitio. Quamquam vero hoc verissimum est, cum tamen Iustiniani iure ferant, quod videbimus deinde, suum nomen, ne partim praeter necessitatem saepius dicta ab aliis^{h)} recantemus, partim a scopo nostro nimium nos auocari patiamur, praetorum, omninoque magistratum editis negligatis, principum quae dicuntur, tractandis diutius commo-

A 2

rari

f) Cuius rei exempla ex inferiорibus sponte sunt animaduertere. Merito autem huc referendi sunt illaque loci, vbi singulis Nouellis integriores seruatæ videbimus quasdam Edictorum partes, quam extant seorsim.

g) LIVIUS L. III. c. 34. Ios Romanum ideo immensum aliarum fu-

per alias aceruatarum legum cumulum nominat.

h) v. c. HEINECCIO in L. f. 1. qui integro L. I. c. 6. editorum, quae magistratum dicuntur, genus copiosissime tractauit. Referendus hic in primis quoque est Camil. BORELLVS de magistratum editis L. IV.

rari oportebit. Differentem de his dignum esse censeo,
quem hic audiamus HEINECCIVMⁱ⁾. „Quemadmodum
„enim, inter alia inquit, omnium paene magistratum munia
„paulatim in se traxerunt principes, nullo aduersante, ita
„illi et de rebus omnibus ad aliorum (quam praetorum) curam
„pertinentibus dixerunt fere quotidie, quin demum nouas,
„quotiescumque placuisset, leges edictis suis sanxerunt, ut
„magistratibus reliquis non nisi umbra quaedam prisci iuris
„potestatisque supereret.“ Ceterum alia illorum edictorum
fuisse contendit generalia, quae ad totum orbem Romanum,
alia specialia, quae ad unam alteramue prouinciam^{j)} vel ci-
vitatem pertinuerunt. Quam vero nonnulli^{m)} statuerunt
edictorum principum differentiam vulgo specificam: quod
ius commune constituentia proprio motu profiscantur a
summo in ciuitate principe; aequo communem esse appare-
bit aliis iuris, ut dicam principalis, formis, veluti constitu-
tionibus et mandatis, a quibus in eo tamen, ut clariora dis-
crimina omittamus,ⁿ⁾ differt edictum principale, ut hoc no-
vum semper ius existat, illis nonnunquam iura antiqua aut
probentur tantummodo et confirmentur, aut restringantur
tollanturque. Nec utique vero grauior distinguendi causa
inde depromeretur, quod edicta solum in certo causarum ge-
nere, aut personarum certarum intuitu formaue solenni pro-
posita

i) Libro I. c. 9. §. 1. pag. HEINECCIVS Lib. I. c. 9. §. 4. pag.
140. ff.

j) Sicuti in nostris Edictis Arme-
niam, Phoeniciam Libanicam, Pon-
ticum tractum, Hellespontum Ale-
xandrinasque et Aegyptiacas prouin-
cias.

m) Assentiri his videtur laudatus

148. ff.

n) Singulare libello constitutio-
num naturam exposuit Chr. Koch
de constitutionibus principum, Jenae
1754. 4. De mandatis euoluvi potest
L. I. Cod. de mandat. princip. et Iac.
GOTHOFREDVS ad Leg. vn. Cod.
Theodos. de mandatis principum.
pag. 28. T. I.

posita esse a principe, contendere velis. Licet enim singulae harum proprietatum contineantur aliarum quoque legum natura, v. c. decisionum, decretorum, rescriptorum epistalmatumque, ideo tamen istae omnes ab edicendo nomen non receperunt, quod una semper vel altera illorum placitorum virtus princeps iis deest. Opus igitur esse certa definitione vel idonea saltem descriptione patet. Nos autem editum principis (generale) esse arbitramur: *speciem iuris scripti, seu speciem legum, quibus princeps immediate motuque proprio ius commune plane nouum ad uniuersorum ciuium utilitatem constituit.*^{o)} Quae omnia dum adsunt coniuncta, editum principis verum constituitur, simpliciori ratione a similibus summi imperantis legibus haud discernendum.^{p)} Differt igitur editum, ut prolatam definitionem paulo adcuratius perpendamus, a decisionibus et decretis in eo, quod sicuti in illis spontanea principis voluntas et plane noua iuris capita desiderantur, ita et haec non aliter dentur, nisi causa inter partes cognita, et ob decidendam potius litem dubiamque iuris questionem, quam introducendum ius recens.^{q)} Eodem modo rescriptis et epistalmatibus principes a ciibus implorati tantummodo respondent.^{r)} Neque vero repugnant

A 3

quae

^{o)} vid. L. III. Cod. de legibus et constitutionibus. L. II. Cod. vbi quis de curialibus vel cohortalibus etc. et L. VI. Cod. de diuersi, praed. urban,

Progr. de genuinis decisionum fontibus, Helmst. 1705. 4. L. XII. pr. Cod. de legibus et constit. L. vlt; Cod. pr. de legibus. et L. I. §. 1. fin. n. de constitut. princip.

^{p)} Nimis nimisque late L. I. n. de constitut. princip. dicuntur constitutiones: principum placita, quae, si hi volunt, legis habent vigorem.

^{r)} Secundum L. XIX. §. 9. n. locat. L. VII. §. 1. Cod. de diuersi. reſer. Conferri etiam potest SCHVLTINGII diff. de refr. in eius Com-

^{q)} vid. omnino GRAVINA in Orig. Iur. Ciu. Lips. 1708. pag. 145. ff. Ge. ENGELBRECHTI (Iun.)

ment. acad. Vol. I. n. 3. et Sam. STRYCKII diff. de iure epistalm. Hal. 1699. 4. ibid. 1735. 4.

Ceterum

quae hactenus diximus, indoli et praecepsis edictorum Iustinianorum, quin optime potius conueniunt cum iis, quae initio huius § differuimus de diuisione edictorum generalium et specialium. Restat, ut quae synonimicae voces legum quas tractamus, in ictorum scriptis occurrant, breuiter annotemus, quarum frequentiores censemus nuda vocabula: *lex*, *placitum*, *praeceptum*, in primisque *auctori-*
tas, et composita: *voluntas regia*, *sancio regia*, *sacra forma*,
et *sacra pragmatica forma*.⁵⁾ Ceterum haec principum plau-
cit a referenda esse inter edicta perpetua, nec aliunde oriri eo-
rum valorem quam promulgatione, ex definitione satis ap-
paret.⁶⁾

§ III.

De aetate et lingua Edictorum Iustinianorum.

Vix graui aliqua difficultate impeditam esse quaestio-
nem de auctoritatibus nostrarum aetate instituendam, facile
posset

Ceterum ciuium singulorum im-
pleratio licet priuilegiorum concep-
tionem in viuierum praecedere de-
beat, ideo tamen, quod inueniun-
tur passim priuilegia sponte ab impe-
rante largita, fuerint nonnulli, qui
aliquam inde privilegiorum cum edi-
ctis similitudinem indagasse sibi visi-
fint. At nos tanto magis dubitare-
mus, vlo modo eorum sententiae
subscribere, quo certius est, fieri
priuilegiis non ius commune, sed
potius exceptionem iure communi,
Iec. §. 6. Institut. de iure nat. gent.
et ciuili, et L. 5. Cod. ad L. Cornel.
de siccari. itemque L. I. Cod. de pre-
cibus imp. offerend. Ex eadem causa
ILL. BIENERVS ad Institut. Iur. ciuil.
(Lipsl. 1789, ed.) §. LX, ubi definitio

priuilegiorum exhibetur, ad verba:
ir ad exemplum non trahantur adno-
tauit haec: „Ab his ergo priuilegiis
„recede adcuratores distinguunt be-
„neficie legis, cum generalia, veluti
„restitutiois in integrum, inuenta-
„rii, ordinis, divisionis, tum spe-
„cialia, quibusdam hominum gene-
„ribus, vt mulieribus, studiosis, fis-
„co, collegiis et corporibus data,
„quaes et nonnunquam iura singula-
„ria, et inpropietate priuilegia appellan-
„tur.“ **CVIACIVS** Obs. L. XV.c. 8.

5) Conferri possunt cum ipsa Edi-
cta, tum prae ceteris quoque HEI-
NECCIVS in Opp. posth. laud.

6) vid. L. 27. et 38. II. et L. 12.
Cod. de legibus, nec non WERN-
HERVM Obs. P. IV. 201.

posset primo intuitu videri, et satis quidem ideo, quod ipsorum parentem Iustinianum omnes uno ore agnoscunt. At quamquam hoc verissimum est, ex aliis tamen causis, et cum per aetatis notionem non tam seculum integrum aut annum, quin potius mensem et diem intelligamus, rem aliter sese habere, inferiora docebunt. Praeterea enim ei, qui plenam absolutamque de tempore harum legum notitiam appetit, scire non sufficit, quo unumquodque v. c. edictum latum sit et promulgatum, sed occasionis quoque, causarumque oblationis, et aliorum quae contigerunt, idem est quam curiosissimum. Hoc vero respectu omnes fere iuris antiqui collectores et commentatores, praecipui harum rerum censores, iniustissimi silentii taxandi sunt.^{u)} Sic mirandum sane est, quod Henricus SCRIMGERVS, eiusdemque prae-nominis AGYLAEVVS, a quibus, FABRICIO^{v)} atque BACHIO^{w)} testibus, primum sunt in lucem protracta, nihil nec

^{u)} Referendos inter eos censeo BALDVINVM in vita Iustiniani, seu de iure nouo, Basili, 1560. 8. et PETR. de LVEWIG in vita Iustiniani M. Halae, 1731. 4. qui tanto maiori studio neglexisse videtur XIII. Iustiniani, quo copiosior fuit de edicto perpetuo C. VIII. inde a §. 53.

^{v)} in Biblioth. Gr. L. VI. c. 6. Vol. XII. pag. 404. ff. Verba eius ipsa digna esse censeo ob raritatem testimoniorum de edictis nostris, quae investigare mihi quidem contingit in collectoribus iuris veteris, quae apponantur hic: „Haec XIII. Edicta, inter reliqua inquir, cum Nouellis edidit Henricus Scrimgerus, Scotus, (Codice Veneto vsus Cardinalis

Bessarionis) apud Henricum Stephanum 1558. fol. Latine una cum Leonis Sapientis Constitutionibus verrit Henricus Agylaeus, ibid. 1560. 8. Graece et Latine extant ad calcem Nouellarum in Corp. Iur. ed. Geneau. 1583. Paris, 1628. (a Dionysio Gorthredo T. II. ed.) et Amstelod. 1663. fol. Latine in multis aliis Corporibus Iur. Inflin. editis.“

^{w)} in Historia Iurisprudentiae Rom. Lips. 1782. 8. ed. pag. 662. (L. IV. c. II. §. 8.) ubi haec: Graece primum editae sunt (Nouellae Conft. Leonis Philof. sed conferri debet Nota b.) ab Henrico Scrimgero. Cui nomini adscripta nota b. ita sonat: apud Henricum Stephanum una cum Iustinian-

de aetate eorum, nec de loco adnotauerint, unde petierint ea. Omnia enim quae a SCRIMGERO hanc in rem editioni sua sunt praemissa verba, in ipsius titulo sequentia leguntur: „Haec ex bibliotheca illustris viri Hulderici Fuggeri domini in Kirchberg et Weissenhorn, publicae commoditati dicantur.“ AGYLAEVVM autem secutum esse SCRIMGERVM, vel conicere tantum licet ex locis quibusdam præfationis et inscriptio- nis, potissimum verbis his: „Huius editionis margini appo- sitae numerorum notae, paginas Graeci exemplaris (h. e. Scrimgeriani, quod docuit nos comparatio,) indicant, ab Henrico Stephano excusi.“ Quae cum ita sint, coacti erimus interdum in pertractanda huius § quaestione contenti esse idoneis coniecturis, occasiones edictorum in primis respi- cientibus. Sed quid rei sit, videamus. Subiuncta scilicet sunt nonnullis XIII. Edictorum cum tempora, quibus, tum eorum quoque nomina, ad quos missa sunt. Horum aetas ex illo ipso additamento facile poterit definiri, quo carentium reliquorum, paulo difficultius. Quia re non poenitebit nos, cum inspectionem accuratiorem temporum additorum, tum certae aetas inuestigationem in iis, quae nuda reperiemus, ad inferiora reseruare, vbi interpretandis editis operam vnicے nauabimus; saepius vtique tum plurimum eo adiuuabi- mur. Attamen placet interim adnotasse consensum STRUVI^{y)}

et

Iustiniani Nouellis et editis, latine
reddita ab Henrico Agylaeo: inde
vero Leuveniana Corp. Iur. Iustin.
editioni graece et latine, et multis
aliis latine tantum adiectae post No-
vellas Iustiniani reperiuntur.

y) In Syntagm. Iur. Ciuit. Francof.
et Lips. 1718. 4. ed. P. I. pag. 62.

Not. y) quo' loco Nouellae quoque
apertis literis ratione aetatis an-
teponuntur Edictis. „Fuerunt com-
positi libri Basil. a Basilio ex Iustinia-
ni libris, ex XIII. Ed. Iust. post No-
vellas lati, ex Const. Nouell. Iustin.
et sequentium Imperatorum usque
ad Basiliū.“ Conferatur etiam
LEVNCLAVII Ecclege Basilicorum.

et BACHII,^{a)} quorum vterque, licet ab ullo posse hac de re dubitari, vix probabile videatur, expressis tamen verbis nostra Basilicis esse antiquiora contendit, arbitratus, illa ex his non minus, quam ex Institutionibus, Pandectis, Codice, Novellis, Iсториis Graecorum in Ius Iustinianeum Commentariis, Paratitlis aliisque libris, constitutionibus, et legibus esse composita. Accedit Iosephus Maria SVARESIVS, qui conflatos esse libros Basilicorum ex Iustiniani Edictis XIII. publice praedicat.^{b)} De lingua nostrorum quo pauciora, tanto tamen certiora dicenda. Quamuis toties autem Latine edita sint inde ab AGYLAEI temporibus, (versio enim, cuius SCRIMGERVS in praeftatione editionis suae Nouellarum largam spem fecit, nunquam prodiisse videtur, licet saepius ab historiae iuris scriptoribus^{c)} laudata) quoties Graece existant nostra Edicta; Graecum tamen sermonem patrem agnoscent una cum Nouellis,^{d)} quibus, quotiescumque fere edita,

a) in Hist. Iuri. pr. Rom. L. IV. c. II. § 5. vbi Nota o) laudatur Ioh. FENSII vberior notitia Basilicorum in Strictr. ad Iur. Rom. Pand. pag. 40. ff. praefat.

b) In Notitia Basilicorum, Paris 1647. 8. ed. et apud FABRICIVM in Bibl. Gr. Vol. XII. pag. 467—482. c. 6. § 24.

c) v. c. a BACHIO in Hist. Iuri. pr. Rom. laud. loco. AGYLAEVVS in praeftatione versionis suae pag. 6. — „Ex quibus ego, inquit, in Henricum Scrimgerum (vt qui ita Leonem vulgandum curarit) quidquam rapi minime velim.“

d) Cuius rei causa sicuti eadem pæne est, quam Ioh. Henricus My-

LIVS in Theophilo (seu libro singulare, de Graecarum iuris institutionum earundemque auctoris historia, aetate, auctoritate, fatis, dotibus, naevis, Lips. 1730. 4. ed.) c. 5. § 2. pag. 37. Institutionum paraphrætos Graecæ Theophilanae fia-tuendam esse copiosius demonstravit; ita ea quoque omnia quasi *zeta* *zeta* applicari possunt ad Edictorum nostrorum linguam originariam, quae afferuit laudatus auctor c. 6. § 2. pag. 54. de filio paraphrætos Graecæ Theophilii. Euolui quoque potest FR. BALDVINVS in Protheoria ad Nou. Conflit. Louanij, 1542.

—————

edita, addita sunt. Separatim enim neque Graece, neque versa Latine euulgata, quotquot mihi quidem editiones inspicere licuit, nunquam inueni.^{e)} In Corporibus Iuris Civilis in quibus reperiuntur, vel Latine solum^{f)} vel Graece,^{g)} vel simul cum Agylaei paraphrasi Latina impressa conspiciuntur.^{h)} Ceterum e lectionibus harum editionum omnium haud temere auguramur, ipsa esse e variis aut manu scriptis aut typis expressis exemplaribus deponita. Quamquam enim, quod omne tamen pertinet ad inferiora libelli capita, paucissimas tantum inuenimus, quae sensum grauiter tetigerint, lectionum varietates; quaedam tamen loca, quae hic et illuc integerrime sunt exhibita, in aliis editionibus deprehendimus modo adeo aequali incisa, resecta, et vere corrupta multilataque, ut nisi librarios et editores coeca quadam obedientia in describendi sui potissimum exemplaris munere captos fingamus, aliam causam illius rei verosimiliorem proferre nullam possimus. Adiectae quoque sunt illis, in primisque loco ultimo recensitis, editionibus Corporum Iur. Civil. notulae nonnullae, ob tenuitatem tamen et breuitatem ad genuinum verborum rerumque sensum intelligendum parum conferentes. Peculiarem commentatorem, quantum scimus, nullum adhuc nostra sunt Edicta,ⁱ⁾ quin etiam a pluribus,

qui

e) Conf. Nota v) ad §. III.

f) Ira exhibentur v. c. in Corp. Iur. Ciuit. Rom. a Sim. van LEUVEN, Lip. 1720. 4. Dion. GOTTHORFEO, Lugd. Bat. 1590. fol. Vol. II. et Lud. RVSSARDO, Lugd. Bat. 1561. Vol. II. ed.

g) Huc pertinent editiones, prima Greg. HALOANDRI, Norimb. 1529. fol. et Ioh. HERWAGII, Basil. 1541. fol. euulgatae.

h) Ita sequuntur Nouellas in Corp. Iur. Ciuit. ed. Geneu. et Amstelod. aliquisque f. laud. Eodem modo existant in ed. Corp. Iur. Ciuit. CHA-RONDÆA ap. Chph. Plautinum, Antwerp. 1575. Vol. II. fol. excusa. i) Apud Georg. Adam. STRIVIVM in Syntagm. Iur. Ciuit. Francof. et Lipl. 1718. 4. ed. Exerc. I. pag. 54. P. I. Thef. 68. fin. (Lib. I. T. II.) haec leguntur: "His, scilicet

cet

qui interpretando collustrandoque vniuerso iuri ciuili operam naurunt, iniuria prorsus neglecta reperiuntur. Licit enim satis sint specialia, nec alias vñquam profuerint, nisi tum, cum praefectis praetorio aliisque magistratibus prouincialibus ab Iustiniano oblata erant, recentiori aetate omni vsu destituta; vix inde tamen sufficiens causa peti poterit, ab iis, partem scilicet iuris Iustiniane haud exiguum in aeternum constituentibus, quovis modo abstinendi.

§ IV.

Edictum primum.

Primum hoc Edictum licet reliquorum omnium breuissimum, non idem est, quod plures ob causas a nobis brevissime posset absolui. Verum enim vero ea quae supra commemoravimus de diuersis horum Edictorum formis, quae exstant in libris editis, satis hoc possent vnicce probare. Quod iure enim mireris, illud ipsum apud SCRIMGERVM,¹⁾ tanquam primum inter reliqua coeptum tantum, sub eadem tamen, quae aliunde exstat, inscriptione legitur his verbis:

B 2

ση

cet Nouellis, cohaerent Edicta XIII. eiusdem Iustiniani, quae non ad certum aliquem hominem aut populum scripta sunt, sed in genere promulgata,²⁾ vid. Ad. RICCIUS, de lib. iur. Rom. quant. et qualit. Nota φ) ad eundem locum: „nullam vero auctoritatem in foro habent XIII. Iustiniani“ vid. KLEINSCHMID de praeogn. iur. Tr. IV. Sect. III. L. I. Conferri quoque potest Bucr. Goth. STRUVIUS, in Hist. iur. Rom. Iust.

Ienae, 1718. 4. ed. cuius c. 3. § 14. pag. 330. verba haec: „Post Novellas in Corp. iur. reperiuntur Edicta Iustiniani XIII. quae licet in foro nullam habeant auctoritatem, faciunt tamen ad interpretationem legum Iustinianearum. Idem dicendum erit de Iustini, Tiberii, Leonis, aliorumque Imperatorum Condit, quae iisdem subiectae et nunquam fuerunt receptae.“

1) in libro supra laudato, pag. 390.

ση διαισθωνη ζητεομενης υπηκοους σπευδοντες του θυτον.
και τα εξης. In margine annotata sunt verba: τροτο το α
εδιπτον ετεθη ανω εν τη με σελιδη, h. e. in Nouella VIII. vbi
integerrimum exstat, quotquot editiones inspicere nobis li-
cuit, sicuti et in paraphrasi AGYLAEANA Latina. Quae ta-
men omnia cum de lectione huius Edicti solum dicta sint,
paucia adhuc restant eius generis. Destitutum enim est hoc
placitum, quo modo nempe legitur in calce Corporum Iur.
Ciu. § 2. recensitorum, inscriptione anni dieique euulgatio-
nis, ita ut incertae aetatis illud esse, hoc respectu asseri
posset. At insertum etiam est, quod ante nos annotarunt
Editores, Nouellae VIII. Capiti XIV. vbi dispositum est de
iureiurando et cautione a magistratibus prouincialibus praef-
standis, et cuius epilogo adiecta sunt haec: Dat. Belisario
praefecto, XVI. Cal. Maii 535. quae sequuntur verba initia-
lia Edicti tractandi. Necessarium esse ideo videtur, ut lex
nostra exstiterit vel ante Nouellam, vel simul cum ea sit pro-
mulgata. Et integro quidem, et quod excurrit, mense anti-
quior reperitur, cui certe maior fides habenda est, apud
AGYLAEVUM, vbi adeo pro verbis XVI. Cal. Maii leguntur XV.
April. Constantinop. Belisario U. C. Consule, quem fasces
tenuisse anno Chr. 535. legere est apud PAGIVM in Crit. Bar-
ron. ad hunc annum. ^{m)}) Ceterum Justinianus auctor huius
Edicti, quod duplicit omnino argumenti est, νομον illud ap-
pellat, quae vox legis vocabulo ab AGYLAEO redditia, vel
sola legitima atque idonea causa nobis videretur, lege postea
vtendi interdum pro edicto. Verba ipsa, si technicas quas-
dam et vere proprias denominaciones excepéris, satis clara,
plerum-

^{m)} Conferri quoque potest PRO-
COPIVS de B. V. II. pag. 134 ed. Hoesch. qui datum esse eo anno con-
sulatum Belisario contendit propter
Africanum triumphum.

plerumque tamen non, nisi ex moribus aei illius, interpre-
tanda sunt. Scire porro licet ex iis, quae sanctioni primae
ab editoribus in primisque AGYLAEO indicii loco praemissa et
in fine repetita sunt: conscriptam eam esse *ubique locorum con-
fuditatis Dei amantissimis archiepiscopis religiosissimisque patriarchis.*
Suberant enim arbitrio eorum et inspectioni, quorum
iniquitates hac lege vario modo coercebantur, prouinciarum
praefides praefectique ⁿ⁾ ita, ut eos iuramenti, quo ab Iu-
stiniani inde aeuo munus regendae prouinciae suscepturi
praefecti obstringebantur,^{o)} Imperatores Romani voluerint
strenuos exactores, ut liberrima quoque gauisi sint de iis,
quae male a praefectis prouincialibus gesta esse rentur, Ro-
manam referendi potestate. Primum autem Justinianus legis-
lator defendere studet hoc Edicto ciues suos prouinciales ab
iniuriis ex praesidum rapina venditione prouinciarum oriun-
dis. Quas *venditiones*, nisi proditiones rectius appellare velis,
(τας γυνεμενας των επαρχιων πραστις) intelligendas eas esse
censeo indeque orras, quod non minus raro, quam iniuste
accidit, ut prouinciarum praefidia pretio quasi redenta iis ce-
derentur, qui plurimum licitati, quod meritis sibi deerat, pe-
cunia supplebant. Quas perniciossissimas prouinciarum saluti
venditiones eo in primis tollere auctor legis studet, ut archi-
episcopis iterum iterumque obligationem referendi de iis,
quae detrimenti aliquid afferre possent ciuibus, in animum
inducat, violatoribus suae legis poenam et animaduersionem

B 3

minatus,

n) Quorum amborum officia in
quibus discrepent, commodior di-
cendi locus infra occurrit h. Ed. et
sequ. pag.

o) vid. SIGONIVS de republ.
Athen. L III. C. de iudice Heliaca. L. fin, Cod. ad Leg. Iul. repet. Nou.

VIII. Tit. III. c. 7. et 14. XVII. c.
11. XXIV. c. 2. XXVI. c. 3. pr. in
fin. et c. 5. pr. Nou. XXIX. c. vlt.
et passim alibi in Nouellis, etiam L. 4.
et 10. II. de off. praef. Ipsa iuramenti
formula exhibetur in laud. priore
Tit. III. sub fin.



minatus, iis vero praemium et aliquam gratiam promittens, qui sibi obtemperauerint. Neque vero parum haec venditionum interpretatio adiuuatur sequentibus. Conqueritur enim per totam legem legislator de absentiae suae a prouinciis necessitate adeoque de patriarcharum episcoporumque, quorum tamen erat, commoda prouinciarum quantumuis possent, promouere, in hoc officio negligentia. Satis autem ex hoc ipso Edicto appetat, saepius factum esse ut ea, quae praesides (*αρχοντες*) aliique magistratus prouinciales illegitime atque damnosè admiserint, archiepiscopi et episcopi et omnino clerici impie reticuerint. At enim vero Iustinianus quam anxie optauerit faustum sui voti euentum, satis inde concludere licet, quod non solum plura studiose immiscer de manifestatione et conservazione edicti sui, sed eandem quoque post hac tabulis et lapidibus insculptam sacris locis esse asseruandam statuit.^{p)} Sed pergit Imperator interdicere cinctum defensoribus,^{q)} (quo vocabulo AGYLAEVIS redditum Graecum verbum: ευδικος) aliquid vel accipere vel dare, ultra eascilicet, quae conferri iis ex legum constitutione permisum est. Cuius duplicitis Iustinianae prohibitionis priori paulo religiosior esse videtur posterior, qua vetat legislator, dare defensores aliquid ultra legitimum, h. e. alios corrumpere, quod opponi.

p) Conferatur L. 2. § 4. n. de orig. iur. Leges interdum solitae recordi in chimieliis ecclesiistarum, interdum insculptae lapidibus et porticibus templorum, interdum etiam lectae in ecclesiis secundum L. 4. Cod. Theod. de prisili. eorum qui in sacro palatio etc. L. 20. fin. eiusd. Cod. de episcopis. Si vero etc. C. XV. de defens. ciu. Sic fane quoque Augustus apud IOSEPHVM Ant.

Iud. XVI. 6. edictum suum Ancyrae iubet τηλογραφεῖαι εν τῷ Καισαρείῳ ναυ, columnae inscribi in templo Caefaris. Nec adeo diuersus est ab hac ratione hodiernae legum palam asseruandarum modus.

q) Varii occurruunt horum magistratum prouincialium nomina, veluti: procuratores, praefecti, praepositi, susceptores, administratores, aliaque.

opponitur h. l. τῷ aliquid accipere, i. e. pati sc̄e corrumpi. Sane quidem continua orationis serie docemur, sermonem esse huic νομῷ de eo, quod datur ea intentione, ut iniustiae impietas auri pondere minuatur, et virtutis studium impeditur illecebris pecuniae, quod datur malo corrumpendi animo. Et vero quamquam dubitari nequit, quin quantitas eius pretii, quod accipere aut dare licet prouinciarum magistratibus, satis antea fuerit determinata,^{r)} insigne tamen iniustiae studium Imperatorem mouisse videtur, vt denuo illud pretium commēmōrauerit. Largitur autem defensoribus prouinciarum pro praebitis sibi (ciuitatibus) in foro gloriissimorum (εὐδόξοτατῶν) praefectorum^{s)} iussionibus (προσταγμάτων) solidos quatuor, si quidem maiores^{t)} sunt, si minores tres. Quae praebitae, h. e. oblatae, promulgatae iussiones quid sibi vellint, antiquitatum auxilio magis, quam solo verborum huius loci nexus intelligi posse puto. Nimitum praefecti prouinciarum iudicum et inspectorum personas in ciuitates sibi subiectas ita agebant, vt, quo scirent modum in gubernanda prouincia tenerendum, instruerentur ab Imperatoribus, specialibus, vrut audiebant, mandatis et consultis praesidialibus, quae dicta sunt hoc loco, sicuti alibi, iussiones, quod verbum positum in singulari numero, loco quodam sequentis

r) Conferri omnino potest hanc Ioh. Boreel de MAVRENGNAVLT
in rem integrum Nou. VII. laud. in diff. de off. praef. prou. c. 7.
cap. XIV.

s) Hunc titulum dignitatis, que gloriae nomine crebrius occurrit in legibus Iur. Ciu. et in nostris Edictis, inter alios multos, de quibus locis suis dicimus, obtinuisse prouinciarum praefectos, Nou. CXXI. testatur, eademque de re vberius differit

Ioh. Boreel de MAVRENGNAVLT
in diff. de off. praef. prou. c. 7.
pag. 141. ss. inf. Thef. OEHLRI-
CHIANO differt. Belgic.

t) Haec prouinciarum diuīsio cum inter receptas non merito referri possit, ambitum solam et quodammodo opulentiam respicere videatur.

[decorative separator]

tis Edicti occurrit simplici legis significatu.⁴⁾ Soluere autem certi quid pro eiusmodi iussionibus imperialibus obligatae erant ciuitates de quarum administratione agebatur. Totius igitur loci haec erit potestas. Vetus Iustinianus, ne praefides prouinciarum plus sibi exigant pro id genus mandatis et consultis, quam quod lege statutum esset. Neque vero temere hoc factum est, quia accidit plus vice simplici, ut iniqui et rapaces praefides redemptione illorum mandatorum ciuibus iusto carius venditata, iuris competentis praetextu fraudulenter sibi prospexerint. Fracta igitur hac fraudis ansa, quodlibet lucrum praeter salarium certum interdictum in inferioribus: si redditus iis scil. praefidis, (seu, quae dilucidior in Nouella esse videtur versio verborum Graecorum: πλιν ει μη τις ει τα δημοσια νεομονεος αυτοι προσηπ πορος; si aliquis ex fisco solennis, h. e. statutus, legitimus, quaesitus) certum quoddam salarium, ex publico constitutus sit, nec quidquam tum ultra legitimum, si eiusmodi publico salario non gaudeant, quod indicatur verbis: ειπεη μηδε ει τα δημοσια λαμβανοειν. AGYLAEI enim versio quam statim addimus, quo modo interpunkta est, summa obscuritate laborat.⁵⁾ Adiungitur quoque poena, quae locum in iis causibus occupet, si a chartulariis omninoque iis, qui circa praefectos sunt,⁶⁾ constitutio proposita violata fuerit, ad quadruplum

v) Classica hac de re inspicienda est Nou. XXIV. c. 6. Et vero etiam peculiari religionis intuitu oblatae iussiones obuiæ sunt in Nou. XVI. c. II. omninoque conferri potest DRAKENBORGIVS in diff. laud. pag. 74.

v) Locus ita sonat: „a nemine autem quidpiam, si redditus illis ex publico constitutus erit, aut, si nihil,

ex publico percipient, ultra ea quae facit nostra constitutione ipsos ferre debere expressum est, accipiunt.“

x) Hi vno verbo dicuntur comitatus et schola praefidum provinciale, de qua plura vid. apud laud. MAVRENGNAVLT pag 94. vbi nec pauca loca probantia adducuntur. Accedit GVTHERIVS de off. dom. Aug. sub illis vocibus.

plumbus usque eius, quod acceperint, adeoque extensa, ut per-
 petuo exilio multati et corpore castigati ea sollicitudine (Græ-
 cum verbum est Φροντίσα, sub quo apertum est ex sequen-
 tibus, intelligendum esse munus eorum,) depellentur, alii
 melioribus viris, qui sibi in munere succedant, cedere coacti.
 Quadruplicem hanc poenam seuerissimam quisque iudicabit,
 eoque grauiorem, quo minus permittere videtur omnis ver-
 borum nexus, ut eam, qua via breuissima aequitati consule-
 retur, alternative quod dicitur, positam esse suspicemur; quip-
 pe cum singulis membris per singulas coniunctiones vincitis,
 disiunctio illa desideretur. Accedit, quod pleonastica fere
 ratione bis expressam legimus eam poenae partem, quae
 munieris priuationem cernit, primum nude positam, altera
 vice quasi per euphoniam indicatam. Clauditur Edictum
 primum verbis Graecis: ει δε και οι μεχρι νυν αρχοντες ο. τ. λ.
 quae AGYLAEVs verit: sed et qui etiamnum in officiis sunt,
 etc. melius, vti opinor, et facilius expressis in Corpore Iur.
 Ciu. Amstelod. supra laudato ita: si vero etiam hactenus iudi-
 ces etc. (quos nec minus apte tamen AGYLAEVs dixit: qui
 in officiis sunt,) scil. hucusque ad legis expositae promulga-
 tionem et declarationem. Ita enim verba Graeca: μεχρι νυν,
 quibus nihil aliud indicatur, quam tempus legis propositae
 intuitu praesens, interpretanda sunt, vt referantur ad legem
 ipsam. Vnde quidem apparet, nihil re vera ultimam placiti
 & continere, nisi publice repetitam confirmationem totius
 praecepti, cuius sanctitas et obligatio nonnihil inde corroborat.
 Quod reliquum, (de subscriptione legis enim quae
 dicenda erant, supra adspersimus,) temperare hic non pos-
 sumus, quin idoneam causam fugere nos, profiteri non eru-
 bescamus, cur solidorum notio eorumque soluendorum
 quantitas in medio sermone Graeco, Latinis verbis et litteris


C

fit



fit expressa. Quod eo magis mirandum esse videtur, quo minus nec linguae Graecae inopiae, quae aeuī illius erat, hoc tribui possit, nec soli casui fortuito. Solidi enim pre-
tium hoc loco tantum est aestimandum, quantum occurrit in
aliis tunc temporis legibus Iuris Ciui, ab argentariae rei scri-
ptoribus communi suffragio determinatum. Ita receptas
quoque fuisse scimus ex iisdem auctoribus a prouinciis Im-
periū Romani Graecis rei argentariae Romanæ rationes;
itemque quantitatis notione, sicuti carentem nullum habemus
populum nationemque cultiorem, gaudebant municipes illi
et verbis vtrumque significabant. Ratio igitur ex sola con-
suetudine arcessenda et reliquorum edictorum stilo non pa-
rum saltem tuenda, nisi satisfacere possit harum rerum arbit-
ris, meliorem aliam nullam adduci posse opinamur. Quod
contra, non poterit eadem aequali iure applicari ad verbum
chartularii, quod litteris Graecis expressum est. Diligentior
enim censor sponte concedet, indicari partim hoc verbo per-
sonam, cuius munus redoleat instituta prouinciis externis tan-
quam propria a Romanis concessa, partim quoque ex Grae-
ca vocis (in textru Graeco) scriptura probabiliter colligi posse,
ad solemnum in hoc genere hominuin eius receptionem. Sed
cum haec de iis tantum dicta sint, quae iure quodam aliter
exspectari potuissent in hoc placito, nihil restat adnotandum,
nisi quod absit in eodem, quae in reliquis omnibus iisdem
fere verbis expressa est, solennis sanciendi formula, in infe-
rioribus paululum diligenter examinanda.

§ V.


 § V.

Edictum secundum.

Missum est hoc Edictum ad Iohannem quendam praefectum praetoriorum, et teste CVIACIO,^{y)} papam, sive archiepiscopum Romanum, et in priore quidem eius capite interdicitur, ne praefides prouinciarum fidem publicam dent in causis fiscalibus, adeo ut ea verba, quibus indicatur placi argumentum: *ne praefides in fiscalibus causis fidem publicam dent*, ad primam tantummodo sanctionis partem, ad secundam vero, quae Caput I. inscripta ab editoribus Corporis Iur. Ciu. exponit de haereticorum quaesitoribus, nullo modo pertineant. Jam quo tempore clarus fuerit ille Iohannes, in primis videamus, tantoque et anxius, quo pauciora nobis de aetate huius legis ab editoribus annotata innotescunt, destituta ceteroquin ipsa forma pragmatica quavis subscriptio-ne temporisque notatione. Nonne vero ex ordinis loco quo posita reperitur, concludi aliquid possit? Sane aliquid, sed parum videtur. Nimirum quia in vniuersum ex subscriptionibus Edictorum Iustinianeorum, temporis rationi obtemperatum esse in iis collocandis, plus quam probabili-ter appareat; ut illud recentioris aetatis priori censeamus, consequitur. Accedunt fasti veteres, et scriptorum qui fererunt Iohannis mentionem, plura loca.^{z)} Celeber fuit

C 2

itaque

y) Obseru, L. XII. c. 26. pag. 378, ff. T. III. Opp. vbi copiosius de mutuis inter Iustinianum et Iohannem epistolis differit; et haec inter alia: „posuit primum in eo titulo (de sum. tr. et fide cathol.) Iustinianus fidei suae professionem, quam ediderat statim ipso initio sui impe-

rii. Deinde editum de fide et haereticorum condemnatione, propositum omnibus populis fidelibus, ut Iohannes ait in sua epistola, Constantinopolitanis scil. et Ephesiis et Caesariensis Cyzicenis et Amiadenis et aliis plerisque.“

z) v. c. apud BACHIVM in Hist. Iuris-

— — — — —

itaque Iohannes teste PAGIO in Crit. Baron. ad hunc annum,
praefectus praetoriorum anno Chr. 538. post consulatum Be-
lisarii III. Imperii Iustiniane XI. atque sequentibus. In-
tegrum exstat hoc Edictum ubiunque inuenitur, iisdemque
locis in Caput I. et II. diu sum, solo AGYLAEO excepto, qui
omnia serie continua exhibuit. Quod consilio magis, quam
negligentia a se factum esse, eum inde lectoribus demon-
strasse censeo, quod non solum verba ea, quibus in aliis ex-
emplaribus manuscriptis singula capita, quin paragraphi sin-
gulæ incipiunt, exprimendas curauerit per litteras initiales
maiores quadratas, sed etiam alia quaedam, quae deesse alibi
inuenimus, annotauerit per litteras minores proclives; vt
plane taceamus de numeris marginalibus, quorum interpre-
tem supra vidimus FABRICIVM. Aggredimur legem ipsam
de fide publica primum praeципientem. Occurrit in primis
autem Nouella XVII. c. 13. locus ad interpretandam dicendi
formulam: *fidem publicam dare,* (*λογον αυτων παρεχειν*)
omnino classicus, Edictique prima pars, quam minus com-
mode, atque esse factum in reliquis praeceptis videbimus,
praestationis nomine inscriptam cernimus, ita incipit: *Ex iis,*
quae a gloria tua sine scripto (*αγραφως*) *ad nos relata sunt*
etc. Haec verba aduersari videntur iis, quae supra vberius
differ-

Iurispr. Róm. pag. 600. ff. et apud
RITTERSHVSIVM ad Nouell. in
Proem c. II. pag. 18. (edit. Argent.
1615. 4.) Quem locum ideo po-
tissimum praetermittere nolebam,
quod viuam quasi Iohannis praefe-
cti descriptionem nobis ita exhibet,
vt simil intelligamus hoc Edictum
non esse iniuria ei oblatum. Verba
sunt: „Similes in eo (nempe Tribu-
nianus et Iohannes, quos PROCO-
PIVS laudatus a RITTERSHVSO

inter se comparavit,) quod vterque
opum et pecuniarum fuit scientissi-
mus, et quasi mancipium nummi;
suaque extrema et in expleibili au-
ritate odium totius populi Constan-
tinopolitanus aduersus se concitauit:
adeo, vt tandem propter ipsos sedatio-
nem grauiissima per vibem coorta fuerit.
Quam Iustinianus alter non potuit
sedare et componere, quam duobus
illis tam exofis ministris suis, ab of-
ficio quoq; gerebant, remotis.“

differimus de notione edictorum. Nimis Iustinianus cum singulatum in hac lege animaduertat, difficultatem publicorum tributorum illationi a praesidibus prouinciarum inde allatam, quod quibuslibet fidem publicam dederint, ad au- res sibi peruenisse *sine scripto*; verosimile esse posset, reliqua Edicta sponte quasi haud data esse, sed antecessa demum re- latione et imploratione, quod antea consilio negauimus. Hanc igitur sententiam ut tueamur cum sit necesse, de obli- gatione praesidum prouinciarum in rebus dubiis et illegiti- mis referendi ad superiores, quaedam adspergendi occasio- nem arripiamus. Copiose autem plura Iuris Civilis loca^{a)} exponunt de munere et obligationibus praefectorum prouin- cialium, alia referendi officium quam severissime iubentia, alia paululum relaxantia, ita ut ex superioribus ea sola hoc loco repetemus, quibus adiuvari interpretationem secundi huius Edicti manifestum est. Neque vero, si modo rem accuratius ponderemus, scriptum illud, cuius defectum Imperator lege proposita quodammodo saltem notare videtur, aliter intelligendum esse arbitror, quam de iis praefectorum litteris, quibus de rebus dubiis et grauibus ad superiores aut populum Romanum ex officio, quod vulgo dicitur, refere- bant. Huiusmodi autem relationibus ordine et consuetudi- ne receptis spontaneae legislatoris voluntati nihil auferri, quin imo integrum salvamque eam restare eo usque arbitror, donec princeps specialibus magistratum aut subditorum lit- teris imploratoriis, ut huic illius abusui lege sua medelam af- ferat, fuerit extra ordinem conuentus. Quod saepius vario-

C 3

que

a) Omnino hue pertinet supra laud. Tit. n. de off. praef. prou. Conferri quoque possunt ea, quae di- ximus ad ipsum I. Ed. euoluendique

funt Commentatores Nouellae VIII. c. 14. a quibus plura capita ex viro que Codice hanc in rem citata re- periuntur.

~~~~~

que modo factum esse, notiones plurium legum formarum, sicuti epistolarum, rescriptorum, pragmaticarum sanctionum aliarumque abunde docent. Tertiae § verba: *ad excellentiam tuam* etc. honoris causa posita, dignitatis gradum, inter alios plures, de quibus locis suis, prouincialibus magistratibus competentem inuolunt. Pergit lex: *Eos enim, qui tributa publica suscipiunt,*<sup>b)</sup> (*ὑποδεχομένοι τας δημοσίες Φορές*) inde sibi securitatem atque tutamentum praetendentes, quod aurum ipsis perfusum sit, non transmittere, (*μη επεμπειν*) hoc est, non deferre ad superiores, sibiique maximam partem retinere, i.e. lucri inde capiendi causa quam diutissime apud se condere, et cum aurum debeant, pecuniam paratam, a subditis sibi pro tributis iamiam solutam, male sibi data fide publica abutis scil. *έγραψεν*, quo verbo reperendo ex antecedente § pendent infinitivi: *transmittere, retinere, abuti.* Neque vero omnes aequae consensuros esse censerem in explicanda *fide publica*. Quam enim verba: *sibi data suadere videntur interpretationem, ea quae inferius occurruat: ne in fisci causis fidem publicam dent, prorsus excludunt atque respnuunt.* Nimirum priora aperte loquuntur, sermonem hic esse de fide publica, quam praesidum prouincialium intuitu dicere possis passiuam, a populo Romano superioribusue nempe iis concessa, posteriora vero actiuam potius indicant, quam ciuibus suis debtoribus interdum largiri, liberum erat praesidiibus. Vtraque intelligendi ratio ob arctiorem orationis adeoque immediatam coniunctionem haud simul admittenda, cum suis tamen argumentis fundata esse pateat, difficilem optionem nobis relinquit.

b) Hi vno verbo dicebantur publicani et publicani publici, teste que BVRMANNO de Vest. Pop. Rom. ex equitibus Pop. Rom, ple-

rumque creabantur. Forum ordinem plurimi fecit CICERO, et pro Lege Man. c. 7. vocauit eum: reliquorum omnium firmamentum,

linquit. At equidem paulo proclivior sum ad alteram, atque ideo potissimum, quod integrum Edicti Caput I. non nisi exponit de fide publica illa activa, quae pependit ab arbitrio praesidumque voluntate, cuius concedendae facultas erat penes praefectos. Quo igitur Imperator promtiorem efficiat tributorum et celeriorem delationem atque illationem, summae necessitatis esse putauit, praefectos, tributorum publicorum receptores, facultate largiendae fidei publicae, concedendarum dilationum, *in causis fiscalibus* (επι δημοσίας ατταις) quorum commoda et damna Imperatorem proxime tangunt, lege proposita plane priuandi, *in priuatorum (ιδιωτικών) causis* eadem iis haud aliter indulsa, nisi ita, ut nec ultra certum tempus, triginta dierum colligo, dari possit, nec propria auctoritate a praefectibus, ubi elapsum fuerit, denou revocari, h. e. protrahiri, renouari. Eodem consilio eiusmodi securitatis promissiones (αυτολιας λογις) fidei publicae seu delationis concessiones adeo inanes et inefficaces declarat, ut ii, qui tales acceperint, nullam inde utilitatem sensuri sint. Ceterum illi soli, pergit legislator, quo severitatem legis restrictione mitiget, securitatem habeant, qui aut ad sacram nostram iussionem, h. e. ad nostra rescripta, aut ad excellentiae tuae, Iohannis, quem superiorem praefectum fuisse ex hoc ipso loco patet, mandata, securitatis promissiones abstulerint. Sequitur primum Edicti Caput, (quaenam enim adhuc explicauimus verba, prooemii et praefationis nomine inscripta exstant in Corp. Iur.

Ciu.)

c) Ita enim secundum Nouellae XVII. cap. 6. hoc tempus definitum erit, quo integro de fide publica non passim danda, haec leguntur: Sed neque haec que dicuntur verba (λεγον καλεμενον) id est iusurandum, promte dare festines in am-

plus tempis: sed et cum examinatione in tempore mediocri (de quo vid. L. 1. § 2. n. de irenere actuque) et non transcidente triginta dierum inducatis, ne ex hoc infinitae sint hominibus ad iniucem contenciones.

Civ.) quo ita disponitur de haereticorum quæfitoribus<sup>d)</sup> (επι  
αἱρετικῶν ἄρχοντες) vt in posterum illo's admitti vetetur. Quæ  
prohibitio quid sibi velit, vt perspiciat, opus est pauca  
adnotare in vniuersum de haereticis eorumque tunc tempo-  
ris statu. Qui intelligendi sint in legibus Iustiniani haeretici  
seu profani, optime intelligi potest ex opposito orthodoxo-  
rum nomine. Hos autem cum idem Imperator ira descri-  
bat, vt eos esse dicat, qui communicant ecclesiae Catholicae,  
qui amplectuntur symbola quatuor Synodorum oecumenica-  
rum; collocat ab altera parte eos, qui non sunt Catholicae  
fidei, nec in ecclesia SS. in qua synodi illae recitantur, com-  
municant, sed ab ecclesia, simpliciter sic dicta Catholica, se-  
parati sunt. Hanc quoque veram esse Iustinianam descri-  
ptionem haereticorum, er qui iis opponuntur, orthodoxorum,  
comprobant permulta Imperatoris leges, in primis  
que Nouellæ, in quibus hac de re dictum est. Iam vero  
neminem iurisprudentiae Iustinianæ gnarum fugit, quod  
ex temporum successu legislator ille ab orthodoxorum parti-  
bus stererit, <sup>e)</sup> et quanta his commoda indulserit, tanta in-  
iunxerit haereticis incommoda, ipsorum praeterea numerum  
indies esse magis magisque diminuendum ratus. Hoc igitur  
consilio inquire, si qui haereseos suspecti videantur, in vitam  
eorum et fidem saepius Iustinianus iussit, <sup>f)</sup> potestate inter-  
dum

d) Apud POMPONIUM L. XI. § 23. de orig. iur. occurunt quæfistro-  
res paricidii, sub quibus intelligendi  
sunt iudices illi a populo ante insti-  
tutas perpetuas quæstiones (iudicia  
ordinaria) constituti et iudicis pu-  
blicis destinati.

e) Egregia hanc in rem extat  
Nouella CXXXI. c. 15. vbi haec:  
Primum esse maximum bonum omni-

bus hominibus credimus veræ et  
immaculatae Christianorum fidei re-  
stam confessionem: vt per omnia  
haec corroborentur, et omnes ter-  
rarum sanctissimi sacerdotes ad con-  
cordiam copulentur, etc.

f) Conferatur Nouella CXXXII.  
ad quam consulendi Synodor. Com-  
mentum.

dum perentibus concessa, ut quos scirent haeresi deditos, cognoscerent et indicarent pro determinato praemio, *sportularum* nomine in placito nostro insignito. Sed utrum haec erant, accidit etiam, ut non tam pietatis quam quaestus studio, solo sportularum intuitu (λογω σπορτυλων) nefarii quidam potestatem illam practexentes ita abusi sint Imperatoris permissione, ut innocentes comprehendenter eorumque bona expilauerint. Cui ut frenum iniiciatur iniquitati, sancientem conspicimus in lege proposita Iustinianum, ut qui id aut sint et comprehendantur, et ad clarissimos prouinciarum praefides obducantur, post probationes, quae cum scilicet illos egisse et caluniose haereticos reos accusare voluisse, quod ceperint, in triplum refusuri: ut simplus iis, qui damno affecti sint, reddatur: duplum vero in fiscum inferatur. Laudanda iterum esse videtur haec Iustiniani legislatio, cum ob vtilitatem ipsius, cum quod inde refutari facile potest eorum sententia, qui nimiam fuisse Iustiniani aduersus haereticos persecutionem, natuere conati sunt. Ceterum caueas hoc loco, ne sub iis, qui se haereticorum erroribus dedisse dicuntur, της έαυτης των αιστηματων ενδεδουσων πλανη, intelligas, ut ita dicam, veros haereticos, quorum statutam poenam fuisse confiscationem bonorum negari nequit. Neque enim ita conueniret haec interpretatio cum simulo bonorum, quod ipsis iniuria violatis restitui vult legislator. Intelligendi illi potius sunt homines innocentes, quibus e calunnia motum est haereticos crimen. Notanda insuper hoc loco insignis PLINII epistola, qua vetuit Imperator Traianus, ne inquisitio fieret in Christianos, de qua vid. CVIACIVS ad Nouell. XVII. C. II. qui ceteroquin tanto magis adnotandum censet locum de non admittendis in prouinciam inquisitoribus, quo maior Belgiae prouinciae pars illa re ab Hispano sit abalienata. Re-

D

vertitur

[decorative separator]

vertitur sacra pragmática forma ad tributorum publicorum exactionem,<sup>g)</sup> priori tamen Edicti dispositione modo longe specialiori. Quae enim supra tanquam in genere praecepit legislator, ad *speciale* (de quo titulo infra commodior dicens occasio erit,) *Afianaे iurisdictionis vicarium* restringit. Foecundam esse adeoque fertilissimam materiam de vicariis praefectorum praetorio contendit DRAKENBORGIVS in diss. cit. C. V. „ut qui exhaustire eam vellet, altera opus haberet disputatione.“ Quapropter equidem arbitratus condonatram mihi esse a B. L. vltiore eorum probationem, quae monenda hoc loco ex illius doctrinae capite censebo, Viri illius peritissimi eiusque testimonii mentionem praetermittere nullo pacto a me impetravi. Instituti sunt eiusmodi vicarii, qui praefectorum praetorio dispositioni suberant, ab Augusto, aucto eorum numero a Diocletiano et Constantino M. qui et primus quatuor superiores praefectos praetorio creavit. Inuenimus autem ab illa inde aetate subiectos imperio praefectorum praetorio Orientis vicarios Asiae, Ponticae et Thraciarum: praefectorum Illyrici vicarios Macedoniae, et PANCIROLLO auctore, Daciae quoque: praefectis praetriorum Italiae vicarios urbis Romae, Italiae et Africæ: denique praefectis praetorio- rum Galliarum vicarios Hispaniarum, Galliarum et Britanniae. Plerumque igitur vni praefecto duo aut plures vicarii suberant, qui etiam propraefecti<sup>h)</sup> audiunt, et olim quidem, cum potestas praefectorum praetorio mere militaris fuisset, idem de militaribus tantum personis ius dixisse, et res bellicas solummodo curasse videntur, pro tem-

<sup>g)</sup> Haec praefectis diligentissime commendatur etiam in Nouellis VIII. dom. Aug. sub hac voce.  
<sup>h)</sup> vid. GUTHERIVM de off. e. g. et CLXI. c. 2.

poris successu aliis, iisque ciuilibus negotiis et muneribus  
admissi. Comitatus praefectorum praetorio, seu cohors  
praetoriana; quae alio proprio verbo schola dicebatur, SVE-  
TONIO teste<sup>i)</sup> equites habuit et pedites; vicariorum item  
vicariana nuncupabatur. Quibus dictis, vt nostrae sanctio-  
nis praecepto insistamus, elucebit iis, qui dicuntur hoc  
loco: in vicariana cohorte, quae spectabilis Asiana iurisdictionis  
vicario apparet, locum et ordinem obtinere, comprehendendi pro-  
prie sic dictos omnes cohortales seu cohortalinos<sup>ii)</sup> Asiae vi-  
carii. Obstringit eos legislator, vt suo honorumque suorum  
periculo, h. e. ita, vt quae tributa ipsorum negligentia fisco  
pereant, e re sua restituere teneantur, publicorum tributorum  
illationi incumbant. Cuius statuti cum primam causam fuisse  
supra viderimus fisci fatorem, alteram addit. Iustinianus  
hanc: quod scilicet: numerum eorum, qui in prouinciali co-  
horte numerantur, (των εἰς την επιχώριον αναφερομένων τοξων)  
in paucos admodum coardiatum esse, diuque iam clarissimum pro-  
vinciae Phrygum Pacatianorum gentis praesidiis magistratum etiam  
vicarium assumisse, compertus sit. Veritus igitur est Impera-  
tor, vt sine fisci derimento, coniuncto praesidii Phrygum  
Pacatianorum Asianaequae iurisdictionis vicarius officio vna  
eademque persona fungi posset, nec id temere quidem, cum  
Ponticam Thraciasque simul regendas fuisse Asiae vicario,  
iamiam docuerimus. Neque vero parum haec interpretatio  
confirmatur Nouella VIII. Cap. 2. qua dilucidius vix esse  
posset huius loci interpretamentum. Ibi enim dicitur vica-  
rius Asiana iurisdictionis index quoque esse Pacatianae Phry-  
giae, quibus coniunctis officiis vii in posterum vetans praefectum,  
Imperator eum potius contentum esse iubet sub no-

D 2

mine

i) in Calig. c. 45.

ii) vid. Gvtherivm lib. laud. sub his nominibus.

mine *speciabilis comitis Pacatianae Phrygiae*<sup>m)</sup> ea soluta  
provincia. Similem duorum eiusmodi officiorum coalitionem  
*comitatus dignitate* appellatam exhibet laudatae Nouel-  
iae Cap. 3. cuius, si quis inueniatur aliorum hanc in rem  
exemplorum curiosus, vberior expositio Commentatorum  
consulatur. Alio modo legislator ultima formae § tributou-  
rum illationem curat, dum ad apochas diligenter scribendas  
rationesque fideliter habendas praefectos adigit.<sup>n)</sup> Et vero  
etiam summae necessitatis erat accuratissima rerum fiscalium  
administratio et ob ambitum earum, et ob varia quae fere-  
bat occasio, negotia accessoria. Sciendum enim est tributou-  
rum praefectis, qui dicuntur hoc loco: *provinciales tributo-  
rum suscepentes*,<sup>o)</sup> (εθνιοι αποδεικται καθ' έκαστην επαρχιαν,) ipsorum tamen periculo relictum fuisse, iis, quorum bonis  
sufficiens inesset securitas, credere ita, ut *acceptitationibus* ipsi  
subeant eorum praestationes. Ex quibus dictis patebit  
omnem, quo modo lute Civili determinata est; acceptilatio-  
num naturam hic esse applicandam. Quo clarior prae-  
terea est tractatus locus, tanto citius progredimus ad singula  
quaedam verba obscuriora, quo referenda in primis censem  
excellentiam tuae mensae; (η υπεροχη της σης τραπεζης)  
et *sacras nostras largitiones*; (τοις θειοις ημων λαγυτωνες;) vix  
autem: *alios titulos*, (έτεροις τιτλοις, h. e. causas iuris compe-  
tentis,) quibus praeter commemoratos excellentiae mensae  
sacrarum.

m) Repetita vice inius mentionem facit laudata Nouella VIII. post cap. 14. ubi insertum est integrum no-  
strum Edictum II. quod sequitur:  
Notitia eorum quae ab unaquaque  
subditarum administrationum debent  
praeberi circa conseruacionem quan-  
titatis, ab iis qui administrationem  
habent. § 3.


n) Dignissima est quae cum hoc  
loco comparetur, Nouella XVII.  
c. 8.

o) De iis vid. GUTHRIUS L. I.  
pag. 442. quocum loco conferendi  
funt utriusque Codicis tituli de sus-  
ceptoribus, praefectis et aperiis;

sacrarumque largitionum, ceteros omnes qui cogitari possunt, v. c. salarii, iussionis Imperatoriae, aliosque comprehendi censemus. Quodsi verba: *excellentiae triae mensae* nominis synonimica dicere vocibus: *sacrarum largitionum*, (quodammodo enim suadere hoc videtur copula: *que*) necesse est, ut sacras largitiones proprie accipias de pecunia illa publica, quae in varios usus cogenda pertinebat ad Imperatoris aerarium. Illa ratione *rd nostrae* significaret idem, ac quae praebitae, concessae sunt a nobis, haec vero: quae nobis competunt, quae pertinent ad nos, postulandae a nobis. Quid autem sint sacrae largitiones, quae proprie ita vocabantur, et remunerationum atque munerationum sacrarum nomine veniebant, copiosius legi potest apud *GVTHERIVM*,<sup>p)</sup> cuius haec: „Largitiones sacrae fuerunt et priuatae, ex quarum diuersitate duo comites sunt constituti; qui utriusque largitionum, et utriusque (priuati et sacri seu publici) aerarii comites dicti, et sacrarum et priuatarum remunerationum. Sacrae largitiones publicae vocantur, quod nomen priuatis non competit.“ Largitiones ipsae apud eundem Virum antiquatum Romanarum acti illius peritissimum esse dicuntur: quelibet in varios usus eroganda pecunia publica, et comites largitionum ii, quibus thesaurorum Imperatoris administratio commissa est. Ad multos autem pertinuit communis haec largitionum comitum appellatio, quibus omnibus sacrarum largitionum Illustris qui dicebatur praeerat, subiectis eius potestati, *GVTHERIO* teste, comitibus largitionum per Illyricum, Italicarum et largitionum per omnes dioeceses, quos dictos quoque esse contendit ex rescripto Theo-

D 3 dosii

p) In libro laudato, l. III. c. 16. ferri etiam potest L. 2. Cod. Theod. p. 541. et c. 25. pag. 581. s. Con. de commeatu.



dofii et Valentiniani: comites thesaurorum.<sup>q)</sup> Mitto reliqua tanquam magis a re nostra remota de dignitate eorum et iurisdictione, de ceteris officiis eorum partibus, de aliis munib[us], quibus simul fundi sparsim leguntur,<sup>r)</sup> memoratu haudquaque tamen indigna. Vacamus potius verbo competunt, (*ανηστρων, ανησταν,*) cuius paulo latior esse videatur hoc loco potestas. Nimirum idem significat, quod determinata, destinata sunt, ita ut iis: *que excellentiae tuae mensae quaeque sacris largitionibus competunt*, intelligenda sint certa tributorum capita, largitionibus soluendis ab Imperatore dictata. Animaduertere restat, subiectam esse huic placito in priori desiderandam solennem illam legibusque Imperatoriis quasi propriam, fatisque claram, nihilque aliud, quam legis sanctionem complectentem formulam: *quaē igitur nobis placuerant, et per hanc sacram pragmaticam declarantur legēm, ea excellētia tua ad effectū deduci praecepito*, cuius explicanda causa idoneum formularum solennium interpretem BRISONIUM<sup>s)</sup> laudasse, breuitatis studio sat esse putamus.

### § VI.

#### *Edictum tertium.*

Non ultimam fuisse causam elati imperii Romani ad tantum fastigium, quod orbis terrarum nomine appellari mereatur, in eo positam, ut provincias subiectas iisdem moribus, institutis et legibus regendas esse censuerint Latii gubernatores; testes haud spernendi exstant historiae Romanae

Id q) Argumento Leg. XIII. Et s) Speciali Libro I. Op. quam so-  
XXIII. Cod. Theod. de diu. officiis. lis legum ferendarum, et omnino  
r) Sic primiceriorum notariorum circa leges consuetis formulis desti-  
partes saepissime egerunt. vid. CAS-  
SIODORVS Variar. VII. naut.

cum veteres tum recentiores scriptores. Quemadmodum  
vero huius rei causis perscrutandis non leuem omnes naua-  
runt operam, ita allatis quoque variis aliorum populorum  
exemplis, plenam fidem verbis suis conciliarunt. Quibus  
praemissis, ipso Edictorum Iustinianeorum ordine iussi sumus  
viam nobis parare ad tertiam de *Armeniorum successione* in-  
scriptam sanctionem, cuius commentationem quo tutius sus-  
cipere valeamus, primo loco nominanda est Nouella XXI.  
licet XV. demum Cal. April. post Conf. Belisarii, h. e. anno  
536. Armeniae proconsuli Acacio, sub aequali tamen inscri-  
ptione, <sup>1)</sup> quae nostri Edicti est, ab Imperatore emissa. Ni-  
hilominus quoque Nouella XXXI. ad Iohannem praefectum  
praetorio scripta alio respectu, quam leges laudatae, sed ita  
tamen de Armenia praecepit, ut quomodo diuisa fuerit haec  
Romanorum prouincia, optime inde cognoscatur. Nimi-  
rum Arménia in vniuersum dicta, STRABONE SVIDAque te-  
stibus, regio erat minoris Asiae prope Persidem inter Tau-  
rum et Caucasum a Cappadocia vsque ad Caspium mare pro-  
tensa, et in maiorem minoremque semper diuisa. <sup>2)</sup> Duplica-  
tata iterum harum diuisionem, siue potius vltiorem de-  
scriptionem Iustinianus inculcauit Nouellae ultimo loco lau-  
datae. Quid omnino autem plura, cum sanctionem no-  
stram ex citata Nouella XXI. sese fere ipsam interpretari scia-  
mus? Non dubitandum erit, quin legibus derogatoriis iu-  
re sit adnumeranda non illa solum Nouella, sed et nostrum  
placitum. Quoniam, inter alia enim Imperator inquit, *barbari-  
cam quandam insolentemque*. (Nouellae verba sunt: quod bar-  
baricē. <sup>3)</sup> Scilicet de *Armeniis*, cui, recte *autoi si nati rōgīzav Pōjūnū akorāzay*  
momentibus Glōffatorib⁹ ad Corp. *vōzic*, ita versa: et vt ipsi per omnia  
Iur. in SCRIMGERIANA editione Romanas sequantur leges,<sup>4)</sup>  
(pag. quam omiserunt addere, 82.) <sup>5)</sup> Conferatur PLINIVS Hist. Nat.  
adiceta leguntur verba: *aq̄ te nūq̄* L. VIII. c. 9.

barice hactenus apud eos, Armenios, seruabatur;) et quae neque Romanos neque nostrae reipublicae iustitiam deceat, apud ipsos esse legem nuper didicimus, (vt ne in pe masculi in parentum hereditatem succedant, foeminae vero non,) emiss a praesenti ad magnificentiam tuam sacra lege, decernimus ut successiones aequales sint, et quae viris mulieribusque Romanorum legibus constituta sunt, haec etiam in Armenia obtineant. Mutata seu potius sublata pristina succedendi in Armenia iniustitia, quam nihilominus obseruatum olim fuisse ab aliis quoque gentibus, v. c. Saliis et Francis, Glossatores ante nos animaduerterunt, non adeo dissimilibus aut clarioribus, quin pluribus verbis confirmata est I<sup>mo</sup> Nouellae XXI. II<sup>do</sup> que Capitibus. v) Vtriusque harum legum contenta strictius intelligenda esse, de ipsarum aetate, satis patet superque ex historia iurisprudentiae Romanae. Scimus enim temporibus antiquissimis commodius Romanis visum fuisse iura ita constitui, vt hereditates ad masculos tantum confluenter, ideoque agnatio, in cuius fauorem haud raro vestigia per omne legislationis Romanae aevum deprehenduntur, etiam remotissimo gradu cognationi semper praestaret. Omnino igitur de foeminis ita placuit, vt ipsae consanguinitatis iure tantum capiant hereditates, si sorores sint, viterius vero non; masculi autem ad eorum hereditates admittantur, etiam si distent longissimo gradu. At vero mox aliquam saltem iniquae huius dispositio mitigationem posuerunt XII. Tabulae. Et vero etiam postea,

v) Huius quidem tenoris: „Sanctimus igitur per hanc sacram legem et apud Armenios haec ipsa tenere, quae et apud nos occasione successioni foeminarum, et nullam esse differentiam masculi et foeminae: sed sicut et in nostris legibus dispositum est, secundum quam figuram

heredes existant parentum, hoc est, patris et matris, et aui et aviae, et adhuc longius, vel eos qui post ipsos sunt, hoc est, filii et filiae, et quemadmodum ipsi hereditatem transmittant, ita apud Armenios esse, et nihil Armeniorum leges a Romanorum differre“ etc.

postea, cum praetores, de iniustitia introductae foeminarum exclusionis persuasi, bonorum possessiones inuenerint, media iurisprudentia eodem aequitatis studio plures tulit subtilitates, tandemque Imperialibus iussionibus<sup>v)</sup> sancitum est, omnes legitimas personas, id est, per virilem sexum descendentes, siue masculini generis siue foeminini sint, simil modo ad iura successionis legitimae ab intestato secundum sui gradus praerogatiuam vocari; nec adeo excludendas esse propterea, quod consanguinitatis iura, sicut germanae, non haberent. Quae omnia hoc consilio tantum a nobis dicta sunt, ut ea, quae pertinebant in legibus propositis ad iura successionesque in primis Romanorum, strictioris magis esse quam latioris interpretationis demonstremus, additis de foeminarum successione praefantioribus scriptoribus contenti.<sup>x)</sup> Iam quoniam ea omnia quae praecesserunt secundum pristinam rationis succedendi in Armenia iniustitiam, commouere absurdissimum esset, tempus additum videmus a legislatore, a quo inde obligare debeat noua et aequior succedendi ratio; in quibus vigorem nullum obtineat, casus quidam recensentur, praeterquam scilicet si qui iam transegerint, alioue modo se inuicem liberauerint. Additam quoque legimus tardioris obligationis causam eandem, quae in Novella citata commemoratur, ipsumque initium obligandi per Edictum tractatum, secundo Nouellae Capite, licet aliis verbis,<sup>y)</sup> confirmatum, a legislatore ita statuitur: *Ac praefens*

v) vid. L. singul. Cod. de legit. hered, ibique Interpretes.

x) vid. Georg NATTA de statuto excluente foeminas a successione existantibus masculis, Francof. 1606. 4. et Laur. di PALATII Comm. su-

per statuto excluente foeminas a successionibus dum existant masculi, Francof. eod. anno.

y) His: „a principiis quartae decimae indictionis“ quibus verbis interpretandis adiecta sunt in Corp. E. Iar.

—

sens quidem lex (ut*i*am diximus,) ab initio pii nostri imperii etc. (απὸ τῶν παιρά της εὐσεβεῖς ἡμῶν βασιλείας, εἰ τῶν προομίων τῆς ἡμετέρας βασιλείας,) AGYLAEO fideliter quidem, sed absque temporis ratione habita hunc locum vertente. Namque notum est Imperii Iustiniane primordia incidere in annum Chr. 527. legislator vero obligationem formae expositae, quae lata est secundum subscriptionem X. Cal. Aug. Belisario U. C. Cons. h. e. anno 535. non temere statuisse censendus est quodam demum tempore (scil. sex annis,) post latam sanctionem<sup>2)</sup>; quippe quod „antiquiora perscrutari et ad superiora tempora adscendere, confusionis magis quam legislationis esse,“ in Nouella arbitratus est. *Porro, lex pergit, mulieres<sup>2)</sup>* (quo verbo recte quidem, serieque orationis suadente verterunt Interpretes Graecum αὐτας, quae Θηλειας intelligenda sunt ex superioribus,) a praediō tempore etiam praediorum quae genearchica (gentilitia) vocantur, particeps esse volumus. Per magna haec muliebris successionis in Armenia extensio ambigendum relinquere videtur, num ea, quae in superioribus iussa legimus, accipienda sint de rebus omnibus, cum mobilibus tum immobilibus, omninoque de qualicunque successione, an de ea potius,

Iur. Ciuitatis, „i. e. anno Chr. 540.“ (541.) „Hic annus fuit Iustiniane Imperii octauus.“ Potius decimus tertius, (a lege post Conf. Belis. h. e. 536. lata, quartus,) quem annum tanto fere audacius substituere fusepio, quo unanimior est historicorum de initio Imperii Iustiniane consensus.

2) Propterea inferenda esse censio nouo. XXI. post verba: ἡμῶν βασιλεύεται et ἡμετέρας βασιλείας, haec: της παρουσίας τεσσαρεκαὶδεκάτης, quarta de-

cima ab initio Imperii indictione, h. e. anno 541. seu post legem latam 6.

a) Hoc verbum in omnibus versionibus, quas inuicem comparauiimus, minoribus litteris expressum reperimus. Cuius scriptio causa primum, sed frustra, in variatione aliqua lectiois quaerentes inuestigasse nobis tandem vissum sumus nimil anxioremque Interpretis Latinis, verbum suo semper verbo reddendi, curam.

tius, quae ad immobilia tantum respicit, h. e. in specie praediali, feudali hodie dicta. Attamen, cum aequitatem primam legis causam agnoscere cogamur, preferendus videtur latior ampliorque successionis significatus, ideoque potissimum, quod paulo post peculiaris mentio fit in lege proposita de successione in praedia. Etenim *praedia genearchica* (*χωρια γενεαρχικα*,) aliis locis, veluti Cap. II. Nouellae XXI. progenitalia versa, (quae AGYLAEVs in margine recte descripsit: conscripta olim a principe, familiae certae,) simul libera aestimanda esse ab omnibus obligationibus et pensitationibus, quod persuasisse sibi quosdam Editores vidimus,<sup>b)</sup> pro certo affirmare non auderem; cum bona gentilitia eo maximopere cernantur, ut, vel remotissimo familiae superfite, ab extraneo acquiri nullo pacto queant, quin legitimo cuique proximo semper cedant. Quae reliqua enim succedendi discrimina sece offerunt in praediis gentilitis seu familiae, siue consistant in linearum praestantia, siue alia praerogativa, pactis nituntur, pro exceptionibus meritis habenda. Ceterum tanto plus inest huic mulierum successioni, quo certius est, causam eiusmodi bonorum genearchicorum quoquis tempore positam fuisse in adiuvando conseruandoque familiae splendore. Accedit, quod Imperator paulo post eo usque indulserit mulieribus, ut *filias quoque* earumque liberos, (hi enim sunt ii, qui nati ex illis fuerint,) qui ab intestato succedere nequeant, (quod sibi volunt verba: *quamquam non vocarentur ab intestato*<sup>c)</sup> ad *successionem rerum genearchicarum*,) nihil tamen


E 2

minus

b) Ex adiecta quidem nota ad verbum: *genearchica* in margine exempli Corp. Iur. Ciu. s. l. huius tenoris: propria cuiusque patrimonio, quae nihil penitit, nec fidem vel

hominum inuestituram, vel *eiōdēnti.*  
xx debent, etc.

c) Haec est versio AGYLAEANA  
erceptae SCRIMGERIANAE lectio-  
nis: *et adiutori*, a qua non tam sensu  
quam



mittis *participes* esse voluerit. Finitur hoc Edictum epilogus.  
Nam επιλογες nomine inscripta leguntur ultima eius verba in  
Corporibus Iuris, quae in SCRIMGERIANO et AGYLAEO  
exemplaribus continua serie obvia solennem obligandi sanc-  
tendique formulam supra iamiam explicatam ita inuoluunt,  
ut temporis legis latae mentionem simili contineant.

### § VII.

#### E d i c t u m q u a r t u m

pertinet ad *Phoeniciam Libanicam*, h. e. eam Phoeniciae vniuer-  
fiae partem, quae sita est ad Libanum montem, de quo haud  
alioquin ignobilis plura leguntur apud PLINIUM.<sup>d)</sup> Iohannes,  
cui inscriptum est, praefectus praetorio supra nominatus, hac  
in lege sicuti in multis aliis<sup>e)</sup> exconsulis iterum et patricii digni-  
tate splendor. Patricii autem Imperatorum aeuo clari, (prisco-  
res enim illi opponebant liberis patrum conscriptorum, seu  
minorum gentium,) consiliariorum Imperialium partes tan-  
quam Imperatorum patres agebant dicebanturque superillust-  
res GYTHERIO teste, L. I. c. II. pag. 308. qui, „honor eorum  
sublimis, inquit, omnibus honoribus anteponitur, ad quem  
ascendere nemini licebat, nisi prius aut consulatus honore  
potitus, aut prefecturae praetorio Illyrici, vel prefecti vrbi,  
aut magistri militum, aut magistri officiorum in actu positi ad-  
ministrationem gessisse nosceretur.“ Iam quo magis confide-  
mus,

quam verbis discrepat hic locus, quo modo, haec scio unde perito, legitur in collectione Iur. Ciu. *εταιρεία σηματων*; ut paulo inferiorius AGYLAEVUS in versione sua adnotauit lectionem Χρονια, pro genitivo Χρονε.

<sup>d)</sup> In Hist. Nat. Lib. XX. ad eumque locem HARDWINVS.

<sup>e)</sup> Sicuti Nouellis VIII. XV.  
XVIII. XIX. XX. pluribusque sequen-  
tibus.

mus, variis exemplis impugnari posse veritatem huius iudicii, quin etiam loci illius CASSIODORI<sup>f)</sup> probandi causa iterum iterumque hanc in rem adducti grauitatem, inde tamen ratio quaedam non incongrua arcessenda videtur, cur exconsulis quoque dignitatem Iohanni iure tributam esse hoc loco asseramus. Prima Edicti §, quae superioris quasi exemplo praefationis nomen tenet, cum satis sit perspicua, sicco pede posset a nobis praeteriri, nisi in primis aestimandam esse sciremus in interpretandi munere severitatem illam, quae nec leuibus omnem curam denegat. Quae cum ita sint, adnotare luet formulae loquendi: *magistratus gratuito creari oportere* (*αρισθες χρηματας γνωσθας τας αρχας*) potestatem ex Nouellae VIII. nostra lex hoc loco dictae Cap. I. hanc arcessendam esse: „nullum munus nullamque administrationem dare debere aliquid suffragium, neque pro administratione quamlibet donationem neque iudici vlli, neque horum, qui circa administrationem sunt alicui, neque alteri per occasionem patrocini.“ Insuper conferantur cum his Nouellae verbis non ea solum, quae I mi Edicti occasione de illicita venditione prouinciarum disseruimus sed etiam Nouellae XVII. Caput I<sup>mum</sup>, vbi eodem sensu (*οι πως δε πρεσβυτεροι αρχοντες*) gratis creati magistratus gratuitas manus seruare iubentur. Sed haec quidem hactenus. Ipsum legis initium seu potius introductionem Iustinianus inde petuit, *ut custodia locorum et munitione undique indagata, quibus reliquis ad subditorum benevolentiam demerendam*<sup>g)</sup> modis usus

E 3

fuerit,

f) Variar. IV. 2. Additur insuper a GUTHERIO L. 3. Cod. de consul. et non sparg. et § filiusam. Inflit. quibus modis patria potestas soluit.

g) Librarium Editorumque operae deberi hoc verbum, modum, quo scriptum existat, indicare contendō ob institutam comparationem exemplorum, quae omnia in eo tenendo aequalia reperi.

Fuerit. sedulo commemorauerit. Neque vero non videmus ex nostro loco praecipuum in illis modis, tenuisse rationem maioribus nominibus quam quae tunc essent, decorandi sublimioresque faciendi magistratus. Nimirum plura pro pristina consuetudine incognita atque inaudita nomina magistratum, qui provinciis praeesserent,<sup>b)</sup> veluti praetorum,<sup>i)</sup> (πρεστωρων,) pro consulum,<sup>l)</sup> (ανθυπατωρων,) moderatorum,<sup>m)</sup> (μοδερατωρων,) et comitum<sup>n)</sup> (κομητων,) eidem consilio suam originem debent

b) Conferri de his potest SVE-  
TONIVS in vita Tiberii c. 41. et 42.  
ibique TORRENTIVS in Not. add.  
SALMASIVS in Not. ad Elau. VO-  
FISCVM c. 16. et DIO CASSIVS  
Lib. LIII.

i) Vid. ONVPHRIVS de praetoribus, et PERIZONIVS in diff. eiusdem argumenti. Intelligendi sunt ii, cuidam prouinciae praefositi, qui nomina ab ea fortiebantur, veluti Nouellis XXV. praetor Lycaoniae, XXIX Paphlagoniae, et CIV. Thraciae. Quia obtinebant in prouincia iurisdictionem, prouinciales quoque disti sunt. Occasione praetoris peregrini duo primum post bellum Punicum Sardinia Siciliaque debellatis anno 520. lessi sunt, ita postea aucti, ut totidem fere fuerint, quot prouinciae in deditioinem Romanam venerint. vid. LIVIVS, L. XXXII. c. 27. et Ian. GVILIELMI Tr. de magistratibus reipublicae Rom. liberae apud GVTHERIVM, pag. 982. Henr. Bebel. JVSTINGENSIS in Lib. de sacerdotibus et magistratibus Rom. apud eundem auctorem, pag. 1108.

l) A quibus prouinciae quae sub-  
erant eiusmodi magistrati, diceban-

tur proconsulares, veluti Africa pro-  
vincia et aliae. Similia exempla  
praebent Nouellae XXX, et CII, in  
quibus proconsules Cappadociae et  
Palaestinae commemorantur. Ho-  
rum quoque dignitatem spectabilem  
suffit testatur GVTHERIVS Lib. I.  
c. 9. pag. 306.

m) Comutatum reperitur eorum  
nomen cum rectoribus correctori-  
busque prouinciarum, qui tamen ti-  
tulo clarissimorum moderatoribus  
spectabilibus ita praefabant, vt ab  
illis appellari licuerit ad hos, quibus  
id lege specialiter datum erat, vt  
vice sacra, h. e. pro Imperatore eius-  
que auctoritate cognoscerent. Hinc  
moderatores Arabiae Nouae CII. et  
Hellenoponti Nou. XXVIII. exhibet.

n) Ita primum ii disti sunt ante  
Augusti tempora, qui consules, pro-  
consules aut praetores peregre co-  
mitabantur, in negotiis publicis ob-  
eundi tanquam ministri adiuto-  
res et assessores, vid. L. V. n. de osf.  
assess. Ex quo ipsi vero tempore ma-  
gistratum prouincialem repraesenta-  
re ceperant, decorari clarissimus  
dignitate, quae vt plurimum tunc  
temporis

bent ex legislatoris confessione. Neque vero parum conducunt modo recensita legis verba ad omnem intelligendam. Sequuntur igitur reliqua, in quibus *magistratum Phoeniciae ad Libanum*, cuius nomen indagare nobis non contigit, *ex ducalibus in spectabilem* (*εν των ἡγεμονικων εἰς σπέσταβλαιν*)<sup>o</sup>) sub moderatoris forma ita translatum videntur, ut *assignatis ei ad decem auri libras istius prouentus*, annonarum scilicet, occasione fisco nihil praebere debeat. Quorum verborum potestatem ut ab omni parte perspiciamus, tanto anxius consulenda est auctoritas scriptorum de ordine dignitatum illius aequi, (de quo tituli sunt in utroque Codice,<sup>p</sup>) quo verius est, quod *GUTHERIVS L. I. c. 4.* pag. 299. ff. probat: „confusas tandem fuisse et pro temporum varietate commutatas illas dignitates.“ Nimirum magistratum, provincialiumque in primis dignitates quae in genere aut legitimae sunt, h. e. quae actu consistunt, aut honorariae, quae sine administratione,<sup>q</sup>) quadruples celebriores inueniuntur; Clarissimorum et Ducalium tanquam inferiorum, superiorum Illustrium, Spectabilium summorum.<sup>r</sup>). Reliqui enim omnes

qui

temporis pro senatoria usurpabantur, prouinciarum rectoribus assidebant. Eiusmodi Comes Isauriae occurrit in Nou. XXVII. Comites Aegypti et Ponticae dioecesos, vt pari vicem gaudemus dignitate, memorantur L. 1. Cod. Theod. de comitiis et tribunis scholar. Plura leguntur apud *GUTHERIVM L. I. c. 15.* pag. 215. ff. vbi et Italicianorum Gallicianorum quae mentio fit, quorum nomina ab Honorio et Theodoreo produntur L. I. II. I. r. copiosius ceteroquin illustrata ab Interpretibus Cod. ad L. 6. Cod. de servis

fugitiu. et 14. de fide instrum. L. 3. Cod. Theod. de matern. bon. et L. 1. Cod. de aenafat.

<sup>o</sup>) Spectabiles qui paulo inferius περιβλεπτοι dicuntur, in Nouellis XX. et CXII. ερμηνευοι, alibi alias nominibus appellantur.

<sup>p</sup>) Conferatur *GOTHOFREDVS* in Notit. Dignit. ad Cod. Theod. pag. 316.

<sup>q</sup>) vid. L. 2. Cod. Theod. ad Leg. Iul. repet.

<sup>r</sup>) *ISIDORVS Orig. L. IX. c. 4.* tantum tres gradus statuere videtur. Verba enim eius haec sunt: — pri-  
mos



qui sparsim deprehenduntur magistratum prouincialium honores, veluti Egregiorum, Superillustrium, Eminentissimorum, Gloriosissimorum, Ornatissimorum, Florentissimorum, Magnificentissimorum, Perfectissimorum, Nobilissimorum, Honoratissimorum Sanctissimorumque partim nimis sunt a scopo nostro alieni, partim tot, quot illustrandis singularis libellus consumeretur. Sunt quidem hi tituli cum le-  
vioris, tum grauioris, quam recensiti, ponderis, pro com-  
munibus tamen et generalibus habendi et humanitati magis  
tribuendi placendique studio, quod prima fuit semperque est  
innumerorum titulorum causa, quam veritati internisque re-  
verentiae pietatisque stimulis. Quo minus vero dubium est,  
quin Clarissimi et Ducales, Illustres atque Spectabiles iure  
huc debeant referri, tanto tamen iustior eorum sententia mihi  
videtur, quippe qui argumentis e notione illarum dignitatuum petitis,<sup>3)</sup> Clarissimos et Ducales uno gradu, altero Il-  
lustres et Spectabiles collocant. En grauissimam huius  
sententiae causam eam, quod nec descrip<sup>tio</sup> illarum dignitatuum,  
(iactatio enim foret, loqui de definitione earum,) aliunde  
possit arcessi, quam ab iis eorumque muneribus, quos ita  
nominatos seruarunt scriptorum veterum narrationes. Sed  
quantum sit huius disensus, ex antea dictis patet, summum  
honoris fastigium tenuisse Spectabiles, ita ut intelligatur, quid  
sit

mos senatorum dici illustres, secun-  
dos spectabiles, tertios clarissimos.  
Conferri omnino etiam potest BAV-  
DISIVS in diff. de titulo illastris,  
spectabiles etc, quam allegatum qui-  
dem reperi apud MYLIVM in Lib.  
f. i. c. IV. § 1. pag. 32. nec tamen  
potui ipsam nancisci.

s) Namque priores vtrique e mi-  
nore, posteriores ex maiore latercu-

lo emittebantur. Laterculum autem  
GVTHERIVS definit codicem di-  
gitatum in serinio memoriae, de quo  
pag. 433, plura differit, depositum,  
qui cum duplex fuerit, alter, later-  
culum minus dictus, sub cura quae-  
storis fuit, alter, maius laterculum  
nuncupatus, cura Primicerii Notari-  
orum, de quo plura infra differen-  
tur, perpetuo affluabatur.

sit in lege proposita: *magistratus*, h. e. *praefidis seu moderatoris Phoeniciae Libanicae ex ducalibus ad spectabiles translatio*. Itaque magis diligentiae studio quam necessitate commotos recensere nos iuuat nonnullorum magistratum titulis illis insignium, qui legendi crebrius obuenere, officia atque munera. Omnino quidem non solum in utroque supra dicto Codice horum titulorum mentio facta est, sed etiam in Novellis et Constitutionibus Iustiniani aliorumque Imperatorum, quae scriptae existant ad magistratus prouinciales, non raro additae sunt eorum dignitates. Et Clarissimi proprie dicebantur, quod Zeno constituerat, praefides prouinciarum eorumque vicarii, quibus rectores simul et correctores prouinciarum, consulares et proconsules prouinciales, legati que Caesaris comprehenduntur.<sup>v)</sup> Ducalium nomen, eiusdem ceteroquin qualitatis, ad militarem conditionem magis respicit et rarius tantum obtinuisse videtur. Ordo Illustrium, quem CVIACIVS<sup>u)</sup> in quinque gradus distingendum docet, a Zenone ita compositus est: „vt primi sint patricii vel expatriicii, praefecti praetorio, praefecti urbis, consulares viri, „quos tam ordinaria professio, quam principis sublimauit „oratio.“<sup>w)</sup> Fuerunt nonnulli quoque Spectabiles illustratu decorati,

<sup>t)</sup> Conferatur titulus Cod. de off. rectoris prou. et L. 6. Cod. de modo multarum, insuperque Nouella VIII. Ceterum omnes praefides clarissimi non fuerunt, nunc superiores nunc inferiores clarissimatu, vt praefides Arabiae et Dalmatiae L. 12. Cod. Theod. de perfectissimatus dignitate, perfectissimi dicuntur, testeque ALIATO Dispanch. L. III. c. 4. praefes

prouinciae Hispaniae Citerioris eodem honore nominatus esse perhibetur.

<sup>u)</sup> Ad Leg. 2. Cod. vt dignit. ordo seruetur.

<sup>v)</sup> Vid. L. 3. Cod. vbi senator. et clariss. et L. 3. Cod. Theod. de adv. voc. diuersi iudiciorum.

F

—————

decorati,<sup>x)</sup> qui Superillustrium plerunque denominatione splendebant. Qui denique restant Spectabiles a CICERONE H. Verr. spectati et honesti appellati, primi, inquit GVTHERIVS L. I. c. 9. pag. 306. proconsules habentur, hos comites Orientis sequuntur, Vicarii in Spectabilium ordine ultimi sunt. Sed nulla sane est in illis dignitatibus, quae diligentiorum interpretationem non desideret. — Alteram fauoris erga magistratum Phoeniciae Libanicae tesseraam Iustinianus adiecit annonarum *decem libris*<sup>y)</sup> auri largiendis. Iam vero annonae, quae antiquissimae originis in eo differunt a tributis,<sup>z)</sup> quod in speciebus consistant, vel ciuiles sunt vel militares, expeditionales vel palatinae, ciuicae denique vel populares. Praestantur a ciuibus vel re, h. e. speciebus, vel pretio seu aestimatione. Sicuti autem Graeca vox: σιρῆσις<sup>a)</sup> annonas militares intelligendas suadet, ita quantitatem earum adiectam id innuere arbitror, quod cordi fuerit Imperatori pretii potius praestatio, quam solutio in specie. Neque

x) Secundum L. I. Cod. de ratione oper. publ. ibique v. GOTHO. FRED. V.

y) Graeca verba: εἰρησις δενα απαννουμι, partim quod similem sportularum determinationem Edicto I. expressam verbis Latinis videhamus, partim quia altero huius placiti Capite pro verbis Graecis: δεκα λιτρων γενεια in medio texu Graeco leguntur Latina: *decem librarum auri*. Auri vero libra et BUNDÆO L. I. de asse, centum auri solidis maior haberi nequit.

z) Haec enim corporibus, velut auro, argento, aere, equis aut vestibus cernuntur, simulque intributiones et contributiones audiunt,

vel soli sunt, vel capitis. vid. CIVACIVS ad tit. Cod. de annon. et trib. omninoque BULLENGER de vestigal. Pop. Rom. Tüb. 1618. et Francof. 1620. 4.

a) Hoc potissimum enim verbum, et vocem: σιρῆσις de annona militaria proprie dictam esse, apparere loco quodam HESYCHII qui illud interpretatur verbo: εφόδον, quod ad iter confiendum miles accipit. Accedit, aliis adeo locis legi: εργασίας σιρῆσις. A POLYBIO eodem sensu usurpatu vox: εργασία. Gloss. Vet. εργασίας σιρεντικες, μισθος τριτου, σιρησις, frumentum quod militibus singulis mensibus accipit ad viatum.

que vero rara fuit eiusmodi annonarum, quae magistratibus prouinciarum fiebat, largitio, cum salariorum locum tenuerit; sed illud magis praeter consuetudinem dispositum est ab Iustiniano, vt liberauerit magistratum Phoeniciae a praestationibus, reddituum suorum intuitu, fisco inferendis, quae vis est verborum: *ipse vero istius prouentus occasione fisco nihil praebere debeat.* Qui similis enim est seculi nostri mos, vt tributa vel maiora vel minora a ciuiibus exigantur pro dignitate opumque, quibus gaudent, praestantia, eatenus olim Imperio Romano communis fuit, vt, qui praefuerint muneribus publicis, fisci aerario singuli praestationibus obstricti fuissent. Hanc tributorum pro munerum grauitate institutam rationem sequentia Edicti verba luculenter probant: *interim apud Phoenices scrinii traditor (το Φοινικης συγγριον τραπεζεων)* pro mper attributo illi munere, quod et beneficium (*βενεφιουν,* quae est generalis salariorum denominatio) nuncupatur, ex eaque eiusdem prouinciae clariss. pro tempore spectabilium tribunorum notariorum primicerio denas auri libras in singulos annos dabit. Tractatores quibus in vniuersum simillimi sunt chartularii, homines erant in munere publico constituti, quibus ex iudicio praefectorum praetorio sive studio numerariorum, ab aliis male *numerotorum* dictorum, vel iussu ipsorum, qui pro tempore amplissime sedis administrationem tenent, exactio publicarum pecuniarum iniuncta est.<sup>b)</sup> Scrinia autem a secernendo dicta, quia pretiosa et secreta, veluti pragmaticas sanctiones, rescripta, cognitiones, preces et supplices recondebant, loculi erant, seu latercula, in quibus acta principum quae ad ius pertinebant, asservabantur, eamque ipsam ob causam omne ius L. 19. Cod. de testam. in scriniis principiis numerando iussum meminimus.

F 2

pum

b) vid. CIVIACIVS ad L. 6. Cod. de exactoribus et executoribus, et L. 10. de numerar.

pum constitutum legitur. Sed cum plura fuerint scrinia eius generis, quae omnia hic recensere consilii ratio recusat, quod hoc loco in primis sit intelligendum, statim adiicimus. Nimirum cum generaliora verba Graeca: *σκρινιον τραπτευων*, (ab auctoribus Graecis dicitur *αντηγραφεις*,) proximiorem interpretandi rationem denegare videantur, eundem hic scrinii tractatorem dictum esse censeo, qui alias vocatur *primicerius*, et *magister scrinii*, h. e. princeps officii scrinarii, ita quidem, ut sermonem esse subsumam, de scrinii sacris quatuor, <sup>c)</sup> memoriae, epistolarum, libellorum et dispositionum, ex quibus annotationes, pragmaticae sanctiones cognitiones atque preces eduntur, reponuntur seruanturque. Notariorum alii erant vulgares seu inferiores, (*ταχυγραφοι*), alii superiores seu magistri et tribuni notariorum (*ύπογραφεις*) dicti, de quibus GVTHERIVS L. I. c. 15. pag. 318. <sup>d)</sup> sunt, inquit, caeteris in officio praepositi, et ad imperialia secreta pertinent secundum Leg. 12. Cod. de excusat. munerum. His omnibus praestabat *primicerius*, cuius haud leuem dignitatem sponte testatur quantitas denarum in singulos annos solvendarum a scrinii tractatore auri librarium. Sicuti vero vox *primicerius* (quasi *προρεγματικος των αλλων*) eum omnino significat, <sup>d)</sup> qui olim dicebatur princeps officii cuiusdam, seu principalis, itemque magister officii, ita et tot cogitari possunt *primicerii*, quot officia, quibus plures impari dignitate praesunt. Sed mox applicatum esse hoc verbum

e) De his qui euoluuntur dignissimus est saepius laudatus GVTHERIVS variis Lib. II. locis, veluti pag. 433. ff.

d) Apud GVTHERIVM L. II. c. 20. pag. 473. leguntur haec: Quae libet corpora, scholae, collegia suum

primicerium habuerunt, quem nos vocamus Le Doyen, qui post depositam publicorum numerorum follicitudinem magistri officiorum insulas solvabantur, h. e. honorarium magisterii dignitatem. v. L.2. Cod. Theod. de primicerio.

bum pro vñs tyrannide reperimus ad Notariorum in primis collegium.<sup>e)</sup> Reuertitur legislator, (quae vltima est Cap. I. §) ad moderatorem prouinciae, eumque a muneribus omnia pura conseruare iubet, h. e. interdicit ei, ne quid accipiat vel det, quae esse vidimus verba Edicti I<sup>mi</sup> hunc locum optime illustrantia. — Sed lectionis varietatem hic adnotare, viua quasi voce nos cogunt adiectae ab editoribus Corp. Jur. ad verbum: *muneribus marginales notae.* Cum enim manifestum sit, causam esse totius, quod hoc loco continetur pracepti, summae iustitiae studium, munera illa (*δοσεις*) qualicunque intelligenda esse, equidem eo facilius mihi persuaderem, quo magis altera exemplariorum lectio <sup>f)</sup> huic potissimum interpretatione videtur fauere, arridere. Praecipi- itaque et maturiore iudicio Commentatores laudati a mune- ribus illis excepsisse videntur „esculenta, potulenta quae ad paucos dies prodiguntur, et xenia.“ Etenim II. leges, qua- rum argumentis innisi sententiae sua patrocinantur, eo gene- raliores sunt et priores, quo specialior et posterior edictalis nostra dispositio. Ceterum, quod omnino de praefidibus

F 3

prouin-

e) Aliis locis primicerius notario- rum *prosonorarius* audit, eiusque dis- positioni faberis omnis dignitatum et administrationum cum militarium, tam ciuilium notitia, vid. PANCI- ROLLVS in Not. Vtr. Imp. et L. 2. Cod. de primicerio, ibique CVIA- CIVS. Ceterum occurruunt etiam pri- micerii scriiniorum, scholarum, ad- iutorum, cerariorum, fabricensium, mensorum, lampadariorumque, de quibus GYTHERIVS suis locis. Conferri etiam potest CANGIVS in Gloss. med. et inf. Lat. sub his voci- bus.

f) Quae Graeci textus intuitu po- tius, quam versionis Latinae vulga- rior, seu SCRINGERIANA appellari potest: *τη μοδερατων καθηρ δοσιων πασης φυλαττουεν.* Altera, AGY- LAEO propria, nescio quo fonte ducta, versioni eius: *moderator por- ro a muneribus omnia pura conser- ver etc.* haud dubie substrata est. Alioquin enim laudatus Interpres SCRINGERI exemplum fecerat, quod pluries animaduerimus, hoc tamen loco, sicuti supra (Ed. III. pag. 193,) in margine sui exempli pag. 195, ad vocem: *omnia adscripti: lego: κατε,*

provinciarum agebat superius Edictum, de militum quoque ministerio, provincialibus magistratibus competente, praecipiebat; at multo distinctius specialiusque est eandem in rem praeceptum propositae sacrae formae. Certum enim illud officialium aut militum genus, fortissimorum Tertiodelmatorum numerus, ut in Phoenicum regione est, egregie commemoratur. Quo minus autem inuenire nobis contigit ullam horum militum mentionem, et apud veteres historicos, et peculiares rerum Phoenicrarum scriptores, tanto magis coacti nobis ipsi videmur, assentiri iis, quae prolatas sunt ad hoc verbum ab editoribus Corporis Iur. in notis editionis GOTTHOFREDIANAE diligentius citatae. Neque eadem ob causam applausum omnem denegare audemus deriuationi huius verbi, quam statuerunt laudati glossatores.<sup>5)</sup> Licet fortassis enim sententia eorum ex longinquo nimis petita censeri posset, ideo tamen controversiam mouere iis non audemus, aut aliam ingeniosè excogitatam arteque conformatam veriorem lectoribus commendare. Evidem enim ingenuo fateor, me summo diligentiae studio ne vñlum quidem locum indagare potuisse, vbi legeretur vel sola vox Tertiodelmatorum. Quae cum

g) Verba eorum haec: „Tertiodelmati officiales ac domestici moderatori Phoeniciae Libanicae suisse videtur; audiui, qui diceret, Syriaca lingua“ (rectius Chaldaica). Compertus enim sum auctoritate nonnullorum virorum harum linguarum peritorum, quos in uberiori examinando hoc nomine vocui in consilium, vocem **טְרִיכָה** scuti significatu apud Syros nusquam occurtere.) „Terita dalmin significari stipatores, a Terita“ (Chaldaicis **טְרִיכָה**, sive in statu emphatico

**טְרִיכָה**, significat scutum, clypeum,) „i.e. clypeis, et Almin“ (haud dubie a plurali **תְּרִיכָה**, qui indicat cum adolescentes, tum etiam fortes et robustos.) „i.e. graffatoribus: vt Tertiodelmati milites suisse videantur prehendendis graffatoribus destinati. Idque colligi i. Reg. X. v. 17. et XIV. v. 26. vbi fit mentio clypearum in domo Libani repositorum: quod huic editio alludit, quod est de magistratu Phoeniciae Libanicae.“

cum ita sint, non possum linguarum Orientalium ignarus  
 non adeo intactum relinquere hoc verbum, ut sponte pro-  
 nunciem, ambigendum adhuc esse, nisi credere velimus  
 Glossatorum dictatis, utrum Chaldaicae an Syriacae, Grae-  
 cae linguae magis an Latinae, an dubius simul originem  
 suam debeat. Sed, quid plura de re incerta? Videmus ex  
 nexu loci nostri Tertiodelmatos intelligendos esse haud igno-  
 bile in Phoenicia Libanica militum prouincialium genus,  
 quod necesse est ut illa aetate virtutis laude flourerit, quia  
 fortissimorum nomine appellantur. Adsunt quoque verba in-  
 feriora, satis clara: *sane si dictus deuotorum (ανδρεσιοτατων ια-  
 θωσαμενων) Tertiodelmaton numerus nostro iuju in alia trans-  
 feratur loca, alterum (έτερον, aliud) in eius locum sur-  
 rogatum subiectendum curabimus: ut ne quid ex solenni plenoque  
 auxilio omnino illi dicitur.* Neque vero solenne hoc plenumque  
 auxilium aliud quidquam est, quam comitus prouincialis,  
 quem aliis verbis propriis scholam et scholan militarem dici,  
 supra ad Ed. I. pag. 16. vidimus. Inter reliqua sacrae pragmati-  
 cae formae verba, non adeo obscura, incidimus in primis in  
 locum, cuius haec sunt: *Qua de re cum instrumenta etiam con-  
 fici iussimus etc.* Est autem hic paulo infrequentior insolentio-  
 rique potestas verbi: *instrumenta, (συμβόλα) quae inspe-  
 ctionem urget eo accuratiorem, quo incertiora vestigia iustae  
 interpretationis nobis praebet Graecus textus.*<sup>h)</sup> Ex omni  
 vero Edicti propositi serie arbitror, conficienda instrumenta  
 de illa re, scilicet de imperio singulis prouinciarum praefectis  
 in comitatus suos competente, eas intelligendas esse litteras,  
 vel potius testimonia scripta, quibus vniuersa schola illorum  
 magistrat

h) Ταυτα τοιου ἀπαντα θεσπιζομεν ευηβολα παρ' ημαν γνωσθαι, προσετικών  
 την σχη ὑπεροχην επιδιμενην, διετι καη προς του της αρχης ταυτης ήγιμενον.

=====

magistratum et numeri et indolis intuitu a superioribus determinabatur. Largiora, quantum scimus ex historiae monumentis, ea fuerunt, interdum strictiora, et varia plerumque SIGONIO atque ZOSIMO testibus,<sup>i)</sup> pro fiducia in praefectos, quam fama ferebat publica. Neque ita dubitari poterit, quin *praefectus huius magistratus* intelligi debeat praefectus vel praepositus moderatoris prouinciae, cui, quae praestanda sit pro partibus officii, addita est salarii quantitas. Sed paulo diutius inhaerendum erit verbis, quibus excipiuntur iamiam illustrata. Nimirum continent ea, quae constituta sunt, ut quotannis soluerentur, de quo supra, *speciebili clavis* *notariorum primicerio a publicarum rationum procuratore*, quam GVTHERIVS L. III. Cap. 27. pag. 586. s. nominat procuratorem aerarii publici, valdeque distinguendum esse afferit a procuratoribus patrimonii, seu patrimonii privati, qui ea Caesorum bona atque praedia administrabant, quae in formam patrimonii redacta, patrimonio principali, siue, quod dicitur Lege 19. et 20. Cod. Theod. de bonis praescriptorum, aerario sacro adgregabantur. Ceterum in verba: neque vero praeterea quidquam illi est addendum etc. non aliter possumus animaduertere, nisi, ut ea agnoscenda esse censeamus repetita ab Imperatore indicia iniustitiae administratorum prouincialium, et testimonia rapacitatis munerum publicorum praepositis haud raro quasi innatae. *Iustitia inter plebeios a moderatore exercenda*, popularis quoque audiebat, in primisque cernebatur in causis priuatis, quarum cognitio omnino erat vel domestica vel popularis, propria maximam partem prouinciarum magistratibus, quos, ut plurimum annales,

<sup>i)</sup> Conferri omnino potest SIGONIVS in Antiquit. Iur. Prueinc. L. II. inde a Cap. 3.

annales, quo commodius iurisdictionis suae potestatem exer-  
cerent, annum ita diuidere solitos fuisse sciendum est, vt  
DRAKENBORGIO<sup>1)</sup> auctore, a estatam rei militari aliisque  
provincialibus negotiis, hiemem vero iudicando impendi-  
sent. Quo ipsi autem iuris dicundi termini provincialibus  
civibus innotescerent, simulac venerant in prouinciam, in  
qua una, vel etiam plures, pro cuiusque magnitudine, vr-  
bes erant, in quibus tempore constituto conuenire teneban-  
tur, conuentum vel forum in certum diem certumque locum  
indicebat, vt, qui in circumiacentibus locis dioeceseos sua  
lites haberent, ius sibi a praeside postularent. Vrbes illae  
in quibus forum erat indictum, dicebantur conuentus iuri-  
dici, qm̄ et conuentus illic agi, nonnunquam ipsa homi-  
num turba in hac aut illa vrbe, prout ferebat res, congregata,  
conuentus appellabatur.<sup>m)</sup> Sed reuersi ad verba tra-  
ctandae legis, in his porro iam dīdīs rebus spectabilē duci omnem  
communionem ademittam legimus; et iure quidem propterea,  
quod res illae iam dīdīs (*προς τον ειρημενον λογον*) intelligen-  
dae sunt omnes civiles,<sup>n)</sup> (*πραγματα πολιτικα*) quae specta-  
bilis ducis potestati exemptae, relictae sunt arbitrio moderato-  
ris, *civilis* magistratus nomine indicati per integrā formā  
in primisque verba eius posteriora. Neque solum enim ob-  
totam

1) in diff. allegata pag. 144. ff.

m) Vid. omnino Ioh. Fr. GRONO-  
VIVS L. III. Obl. c. 22, 1. et GRAE-  
VIVS in praef. T. I. Thes. Aut.  
Rom. Quibuscum locis conferas  
SPANHEMIUM in diff. IX. de vfu  
et praestantia numismat. pag. 611.  
SIGONIUM in Ant. Iur. Prou. L. I.  
et II. c. 5. et MAVRENGNAVT  
in disp. collaud. de off. praef. prou.

cap. 5. et 7. pag. 144. ff. vbi simul  
docet eodem ceteroquin ordine,  
quo Romae praetores, magistratus  
provincialis iuri in prouinciis dicun-  
do operam nauasse,

n) Noxiū enim est reipublicae,  
iurisdictiones misceri, quod ideo  
plures leges prohibent, v. c. L. I.  
Cod. de off. magistr. milit. et L. I.  
Cod. de off. milit. ind.

—

totam orationis seriem haud dubitandum esse mihi videtur quin sequentia pro linguae Latinae indole minus recte ab AGYLAEO expressa: *nolumus enim quidquam illi commercii esse etc.*<sup>o)</sup> referri debeant ad spectabilem ducem; sed sponte quoque apparere censeo e textu Graeco, pronomen: *αυτον* pertinere ad proxime praecedentem *περιβλεπτον δυνον*, qui ex opposito moderatoris deinde dicitur *militaris* (*σωματικος*) magistratus. Ut tandem nihil dubitationis restet in hac interpretatione, prouocamus ad verba inferiora, quibus adeo poenalem prohibitionem coniunctae rei militaris curae cum administratione civili Imperator ita statuit, vt muneris priuationem spectabilibus ducibus, *qui rebus civilibus ingerere sese audeant*, minatus sit. Quam porro legislator breuiter sic: *in nulla nangue re inferiorem hunc magistratum ducis magistratu: esse volumus etc.* voluntatis suae intuitu vtriusque dictorum magistratum declarationem inuoluit, eandem paulo post vberius explicuit, in primisque *moderatori tam liberrimam pu: blicarum rationum quam seuerissimam exactionem quasi ius quoddam praecipuum praे magistratu militari, iterum ire: rumque iniunxit.* Ultimum Edicti Caput consumtum est commemoratione annonarum militarium (*στηγεων των περι: βλεπτων δυνων*): quarum assignationem Iustinianus demonstrat sese non temere concessisse moderatori, propterea *quod manifestum fit eos, spectabiles duces, non tam socorditer ad res animum aduersuros esse, ut quae sibi competant petere non possint.* Iam vero plura vt adnotentur ad sacram propositam legem, quae quartum tenet locum inter Edicta Iustinianea, interpre: tis officium flagitare nobis non videbatur, ita vt contraria potius.

<sup>o)</sup> Graeca verba sunt: *αδε γαρ επι της δεδομενοις ερκτοταις τη περιβλεπτη: πουνηκαι αυτον βιλομειδεια αδε τοις ρη μοδερντωει, αδε κ, τ, λ,*

porius causa moti, quippe quod aliquando iam dictum est de iis, et fines tenendi sunt qualiscunque libelli nostri, quin prorsus taceamus et de natura annonarum militarium, et de potestate epilogi calci legis adiecti, non dubitaremus.

Haec igitur hoc quidem tempore funto, quibus prolixorem Edictorum nostrorum commentationem primum specimen recipere recusat. Quare, si quam aliam differendi occasionem nauci erimus, altera qualiscunque laboris diatribe continuatur coepitam XIII. Edictorum causam, consilii nostri rationem B. L. de meliori nota iterum iterumque commendamus.

12  
... et quibus mihi obsequis hunc dñe meum sibi subspansum  
... et quod respondeat etiam dicitur in libro de  
... litione et iustitia. Et hoc respondeat etiam in libro de  
... peregrinatione quod istud est quod non debet.

Hoc idem post dictum iacobaeo tunc  
... iliziorum. Regiomonti etiam nominatur  
... ibi.

- Pag. 7. lin. 8. 8. lin. 13. et 21. } Edict.  
— 18 — 12. pro: edict. }  
— 25. — 9. pro: aut, aut. }  
— 29. — 8. pro: te, tu. }  
— 30. — 14. pro: quae, quae. }  
— 35. Not. c) lin. 2. pro: exceptae, receptae. }  
— 39. Not. n) lin. 11. pr: Gallicanorum quae, Gallicanorumque. }  
— 40. Not. r) — 5. pro: allegatum, allegatam. }  
— 48. lin. pro: quam, quem.





Leipzig, Diss; 1793

ULB Halle  
004 350 43X


3



f

TA 20 L

hur Stk. 6 bisher verhüft





# XIII. IVSTINIANI EDICTIS

SPECIMEN PRIMVM

QVOD PVBLICE

AMPLISS. PHILOS. ORDINIS AVCTORITATE  
IN AVDITORIO PHILOSOPHICO

A. D. XXI M. DECEMBER. CCCCCXCVII

H. L. Q. C.

DEFENDET AVCTOR  
HIERONYMVS THEOPHILVS  
KINDIVS

A. A. M. E T I. V. B.

ASSVMTO SOCIO  
AVGVSTO APEL

AVR. VTR. BACCAL. LIPS

*Continet quatuor priora Edicta*

LIPSIAE  
EX OFFICINA KLAEBARTHIA